DE

CIVITATE APUD PLATONEM

QUA FIAT UNA

DIVIONE, TYPIS DARANTIERE, VIA CHABOT-CHARNY, 65

O

THÈSE POUR LE DOCTORAT

DE CIVITATE APUD PLATONEM QUA FIAT UNA

HÆC

APUD FACULTATEM LITTERARUM PARISIENSEM DISPUTABAT

ALF. ESPINAS

Olim Scholæ normalis alumnus

> Θεὸς ἔνεμεν αὐτοὺς αὐτὸς ἐπιστατῶν, καθάπερ νῦν ἄνθρωποι, ξῶον ὂν ἕτερον θειότερον, ἄλλα γένη φαυλότερα αὐτῶν νομεύουσι.
>
> (POLITICUS, 271, *e*.)

PARIS

LIBRAIRIE GERMER BAILLIÈRE

8, RUE DE L'ODÉON, 8

La Librairie sera transférée, 108, boulevard St-Germain, le 1er octobre 1877.

1877

MAGISTRO SUO

J. LACHELIER

IN SCHOLA NORMALI PHILOSOPHIÆ PROFESSOR

GRATI ET DEVOTI ANIMI HOC PIGNUS

D. D. D.

REVERENTISSIMUS

AUCTOR

DE

CIVITATE APUD PLATONEM

QUA FIAT UNA

PROŒMIUM

De ratione politica Platonis.

Nobis stat propositum non unum aut alterum Platonis dialogum inspicere, nec rursus totam de re politica ejus doctrinam exponere, at hanc doctrinæ politicæ partem propius considerare qua civitas una efficitur. Nihilominus summatim attingemus, antequam descendamus in nostram rem, hinc ipsa Platonis opera ex quibus sententias nostro proposito congruentes maxime sumus collecturi, illinc rationem qua est usus, ac philosophica illa principia e quibus tanquam e fonte præclari viri civilis doctrina manavit.

Tres præsertim dialogos huic doctrinæ exponendæ

Plato adhibuit. Duo maxime noti : unus *De Republica*, alter *De Legibus ;* quos sæpius inter se graviter discrepare critici æstimaverunt ; ita ut alterum vix Platonicum judicaverint. Hanc discordiam, plurimis in locis patentem, nemo sanus neget ; sed attente res consideranti apparebit Platonem omnino conscium sententias in priori opere latas in altero mutavisse, quod ipse testatur atque his verbis explicat : « Recte sane agetur si optima respublica et secunda et tertia proponatur, deturque optio cuique arbitratu suo quamlibet electuro... : quare reipublicæ exemplar nos alibi considerare oportet, sed hac inspecta, talem maxime pro viribus quærere. Ea vero quam hic (id est in dialogo *De Legibus*) nos sumus aggressi, si fiat, proxime quodammodo ad immortalitatem accedet, ac si non primo, saltem secundo loco erit. Sed de tertia postea, si voluerit Deus, determinabimus (1). » Quo pacto Plato optime secum ipsa in differentia concors evadit. At si velis primum e tribus dialogum qui *Politicus*, sive *De Rege* inscribitur in memoria tenere, rationem omnem qua utitur Plato atque horum operum commune quasi vinculum intelliges. Nempe ibi, quum optimam rempublicam exposuit, in qua regis voluntas stet pro legibus, addit multiplices quidem esse pejoris reipublicæ formas, sed omnibus leges optimæ civitatis longo vel intervallo imitandum, si velint salvæ esse (2). Atqui *Imitatio* magnum in philosophia Platonis momentum habet. Ibidem enim videmus optime aliquem ratiocinari si quum de re difficili agitur, eamdem rem

(1) Translationem Marsilii Ficini mutuamur (edit. Jehan Petit, 1633). Confer ad Græcum exemplar., p. 739, *a*, et 746, *a*. — (2) 297.

alias in clariore loco curet inspicere, scilicet sub specie exempli, dein quod in exemplo invenerit, ad rem ipsam transferat. « Nonne, inquit Alienigena, satis hoc comprehendimus? Tunc videlicet exemplum oriri quum quod idem est in alterutro sejuncto recta opinione conceptum et utrique accommodatum, unam amborum communiter opinionem parit (1)? » Recte philosophus hoc modo ex minore ad majus, ex majore ad minus transibit, dummodo commune amborum genus sit. Omnia autem quoad elementa paria. Unde fit ut mundum seriem immensam imaginum alterius alteram imitantium possis re ipsa habere. Quam doctrinam in *Timæo* Plato amplis verbis patefecit : fingit hic Deus mundum sensibilem ad instar mundi intelligibilis, Deos sidereos ad instar mundi, hominis animam ad instar Deorum; ita ut quod ad societatem attinet, similiter humillima cœlestissimam reddat atque imitetur. Jure igitur philosophus imagines plures civitatum, a summo exemplari magis ac magis discedentes exprimat : quod Plato effecit ipse, tertium quum junxit secundo dialogum.

Forsan interrogabis quid juvet Platonem deformem hanc imaginem nobis ostendere : civitatem scilicet a multis gubernatam, electos a civibus magistratus, bona cuique propria : quæ omnino rectæ reipublicæ abhorrentia prioribus in libris dictitaverat. At hic omnis politicæ doctrinæ quam inspicimus vera facies detegitur : unice enim ad homines virtutem docendos tendit Plato : quam quidem sperat melius iri acceptum, si sit

(1) 278, *c*.

ejus effigies mentibus vel maxime obtusis accommodata. Ita primum confunduntur quæ nunc sedulo dividimus, scilicet doctrina atque ars. Disserit noster non ut cognoscat qualis sit vita hominum communis, sed ut præcipiat qualis illa debeat esse (1). In *Politico* dicitur Rex scientia rex esse non arte; sed quis non videt regis contra artem propriam esse, scientiam philosophi (2)? Pariter in *Republica* philosophi optimi rerum duces appellantur. Deinde omnis civilis doctrina ad moralem reducitur : cum principes privatos probos effecerunt, omne suum adimpleverunt munus. « Necesse est igitur eam maxime ac solam æstimare rempublicam in qua qui magistratibus funguntur revera gubernare sciunt. Neque insuper refert sive capitalibus pœnis et exsiliis quibusdam communis boni gratia civitatem purgent, seu colonias tanquam apum examina mittant, populumve comminuant, sive aliunde homines futuros cives advocent, civitatemque amplificent. Quatenus enim scientia et justitia freti, ex deteriore meliorem pro viribus civitatem efficiunt atque servant, eatenus rectam appellari rempublicam volumus, et in eo ipso duntaxat definitionem rectæ gubernationis consistere (3). » Quæ si in breve contrahas, senties Platoni egregium politicum probum quemvis virum videri, cæteros sibi similes efficere qui possit, at virum probum eumdem esse scientia boni præditum ; nam, ut omnibus notum est, virtus Platoni scientiæ comes, imo pars.

Si quæris cur fuerit a tanto philosopho ars politica

(1) 746, *a*. — (2) 259, *c*. — (3) 293, *c*.

cum scientia morum commixta, tibi considerandum genus humanum et illis temporibus maxime, et etiam nostris, magis impetu affectus ac moribus in societatem redigi quam doctrina. Multos enim etiam nunc in quaque gente reperies, qui a rebus abstractas vitæ communis conditiones prorsus ignorent, vivantque nihilominus conditionibus his parentes, ac sæpe optime de republica mereant. Moralis lex est apud illos unica civilis doctrina, sui autem male conscia, et quam natura, de conservanda et augenda hominum societate sollicita, in actu voluit esse antequam in cogitatione. At tales homines quibus honestum in omni actione optima vel sola regula proponitur, quum vident res publicas aliter ac speraverint vertere, unum illud votis appellant, scilicet mores in melius corrigi: pro bono publico privatorum honestatem habent. Ita animatum si nostrum philosophum tibi fingis, intelliges illum necessario credidisse optimam se reperturum rempublicam si qua fuerit ubi virtus cuique civi quacumque via imponeretur; atque conatum fuisse ad exprimendam hujus imaginem. Verum non minus necesse erat, quamvis exiguum sub aspectum rem subjecisset, ingenio præstanti hunc præditum aliquas captare, velut primo scientiæ diluculo, vitæ communis conditiones et materiem jam paratam successori tradere.

Lex morum eadem omnibus est et nullo tempore sibi dispar potest apparere. Ergo quum scientiam politicam morali disciplinæ Plato subjicit, simul instituta civilia, quæ recta sint, omnibus una atque æterna esse contendit. Non nostrum est monstrare quibus apud vicinas gentes deprehensis notis hoc cœleste vocatum

exemplar in mente Atheniensis philosophi fuerit conflatum; sæpe enim critici dixerunt quomodo vitiis suæ civitatis offensus ad Spartanam animo quasi confugeret et quo studio vir ille vere Pythagoræus, geometricæ doctrinæ amans, immobiles (ut credebat) Ægypti leges complecteretur. Satis nobis sit paucis his verbis significare omnia hæc quam inter se cohæreant : scilicet indiscreta rei civilis scientia atque ars, Ethicæ politica subjecta, denique omnis publicæ vitæ disciplina æterno atque absoluto cuidam exemplari assimulata. Illud est Platonis politicæ vere proprium ; illud stat omnis quam expondituri sumus doctrinæ ratio ac lumen.

I

De principiis doctrinæ politicæ apud Platonem.

Describamus ergo hoc divinum exemplar quod sit et unde oriatur.

Non est in civitate quærendum quam dialogus *De Republica* inscriptus depingit. Hoc enim in octavo hujus libro legimus : « Repetamus jam unde huc digressi sumus, ut per eadem rursus proficiscamur. — Haudquaquam difficile istud. Ferme enim quemadmodum nunc quasi de civitate satis egisses, adjecisti, quod talem civitatem bonam vocares qualem descripseras, bonumque virum quicumque illius foret persimilis : quum tamen posses adhuc, ut apparuit, meliorem civitatem virumque referre (1). » In *Legibus*

(1) 543, *d*. — Vid. etiam 373, *a* et sqq.

quidem videtur Plato tres tantum civitates ponere; sed quam primam e tribus vocat, patet eodem loco non fuisse in *Republica* omnino expressam. In illa enim omnia sunt, inquit, perfecte communia. « Certe in hoc præcipue virtutis erit terminus, quo nullus poni rectior poterit, si alicubi videlicet aut sit illud, aut unquam fiet ut communes mulieres sint, communes et liberi, communis quoque omnis pecunia, omnique studio quod proprium dicitur undique e vita remotum sit... (1). » Atqui in *Republica* si mulieres sunt communes, pecunia saltem non est nisi inter philosophos et custodes communis : quomodo enim mercatores et opifices omnem quæstus curam abjiciant? Cæterum non haberent, nisi propriæ sint fortunæ apud illos, unde stipendia militibus præberent. Ac si eumdem locum accurate consideres, videbis non homines magis quam Deos aut Deorum natos hanc civitatis imaginem spectare. « Talem utique civitatem sive Dii alicubi, sive Deorum filii una plures habitent, ita viventes eamque servantes omni certe referti gaudio vivunt (2). » Ergo confusum in mente Platonis manebat qualis esset illa prima trium civitas ; nec civitatem in dialogo priori descriptam omnes modos implere æstimabat. Ipsa mera imago, quamvis divino exemplari proxima.

Ubi Plato hoc exemplar nobis ostendit? Hoc nostra sententia animadvertendum dialogum qui *Timæus* inscribitur non breviter in procemio dialogum *De Republica* colligere. Hic enim primum præcipuas hujusce fictitiæ civitatis leges inductus Socrates commemo-

(1) 739, *c*. — (2) 739, *d*.

rat, quasi fuerit de his hesternus sermo : classes sedulo sejunctas, lenitate ac fortitudine mixtam custodum indolem, omnia inter eos communia, pueros ipsos patribus singulis ignotos, atque in sinu reipublicæ educatos. Tum Socrates fatetur cupere se admodum civitatem hanc viventem videre ac quasi moventem. Cui voto Critias respondit historiam seu fabulam veterem narrando a Solone transmissam : scilicet Athenas ipsas his ipsis legibus quondam floruisse quas Socrates suæ civitati hesterna disputatione adscriberet, atque tum tantis viribus viguisse ut omnibus Hellenibus præpositæ ingentem exercitum ex Atlantide insula ruentem ad internecionem cecidissent : sed terrarum concussionibus eluvionibusque genus illud præclarum virorum fuisse destructum, dum ipsa Atlantis insula mari hauriretur. Placet vero Critiæ hanc fabulam tanquam vere historiam habere, ita ut species civitatis quæ videbatur supra veram esse, tantum ante præsentem exstitisse appareat. Proponit ergo Socrati origines societatis hujus a principio revolvere ; cui proposito lætus Socrates assentit, utpote qui impensis suis hesternum sermonem prope omnem produxisset. Tum Critias : « Considera, Socrates, an commode mutuum tibi convivium disposuerimus. Visum nobis est ut Timæus, in astronomia nostrorum omnium peritissimus, maximeque in rerum natura cognoscenda versatus, primus edisserat, ita *ut a mundi generatione exordiens usque ad generis humani naturam deveniat.* Atque ego deinde suspiciens homines a Timæo quidem genitos, a te vero ut plurimum institutos, secundum Solonis sermonem legemque in judicium vestrum adducam,

civitatisque istius cives efficiam eos qui prisci illi Athenienses fuerunt, quos jam exstinctos sacræ Ægyptiorum litteræ in lucem e tenebris eruerunt, adeo ut de illis deinceps tanquam de veteribus Atheniensibus verba fiant. » Cui Socrates: « Copiosam et splendidam disputationis mensam apparavisse mihi videris (1). » Te interrogo: num dubia res est? Nonne patet in *Timæo* Platoni destinatum societatem antiqua atque eadem nunc ex oculis hominum ablata Atheniensium civitate priorem depingere? At nonne paulo ante Rempublicam in priori dialogo expressam veteri Atheniensium civitati æquavit? Ergo *Timæus* citeriorem id est perfecto propiorem quam hæc respublica erat, Deorum scilicet cœtum nobis patefaciet. Quod res ipsa valide confirmat.

Hic enim cernimus præter homines, mortalia animalia, esse Deorum genus, ipsum quidem bipartitum. Prior pars Deorum vagorum et arbitratu suo apparentium quos colit vulgus, nec audet Plato e divina sede deturbare (2). Secunda Deorum in cœlo ordinato ac constanti cursu tendentium, qui quum materia non sint indissolubili præditi, tamen voluntate summæ Potentiæ manent immortales. « Divini quidam animalis speciem ex igni maxima ex parte componebat auctor ut splendidissimum esset visuque pulcherrimum. Cumque illud universi figuræ simile vellet fore, rotundum fecit, posuitque in ipsius optimi sapientia: atque illud sequi jussit, circumque omne cœlum distribuit, ut verus illi ubique ex hac varietate ornatus

(1) 27, *a*. — (2) 40, *d*.

accederet (1). » Putasne posse inter divina animalia discordias nasci? Imo inter se amicissima societatem concordissimam habent. « Horum vero Deorum choreas, et inter ipsos concursiones, circulorumque ipsorum revolutiones varias et accessus, quales præterea fiant conjuncti sibi invicem vel oppositi, sive ante inter se, sive retro, quibus temporibus et quo pacto delitescant singuli, vel emergant... hæc inquam omnia absque diligenti simulacrorum ipsorum inspectione explicare velle, inanis est labor (2). » At ipsi ad effigiem animalis divinioris, universi scilicet, ipsiusque artificio procreati; quod quidem, quanquam unum, multitudinem partium inter se concinentium continet atque secum perfectam societatem agit. « Qua ex conjunctione (elementorum) ita constitutus est mundus, ut aspici tangique possit. Propterea ex hujusmodi rebus numero quatuor mundi corpus conflatum est, ea connexum comparatione qua dixi. Ex quo se ipsum amicitia concordi complectitur, atque ita apte cohæret, ut nequeat dissolvi ullo modo, nisi ab eodem a quo est colligatum (3). »

Rursus vero mundus visibilis imago stat mundi alterius quod non oculis percipi potest; ultimum hoc est rerum exemplar jam in septimo *Reipublicæ* libro adumbratum, solique collatum qui cuncta in mundo visibili radiis collustrat. « Hoc posito, quod sequitur videamus, ad cujus animalis similitudinem Deus mundum constituit. Uni cuidam propriæque animalium speciei similem fecisse ne arbitremur. Nam si imper-

(1) 40, *a.* — (2) 40, *b*, *c.* — (3) 32, *b.*

fecto animali similis esset factus, pulcher certe non esset. Immo vero illius animalis eum simillimum esse ducamus, cujus animalia cætera et singulatim et generatim partes sunt. Illud siquidem viventia omnia, quæ sola mente percipiuntur, in seipso complectitur, quemadmodum mundus hic nos et cætera quæ cernuntur animalia continet (1). » Hinc finita rerum series pendet, dum altera parte in infinitum vergit.

Mundus intelligibilis perfecta societas. Totus enim in Idea *Unius*, eademque *Boni* continetur, ita ut eum arcta atque undique cohærens Amicitia complectatur. Nulla nisi e pluribus unitas effici potest. « Prisci nobis præstantiores, diisque propiores, hæc nobis oracula tradiderunt, ex uno et multis constare universa quæ semper esse dicuntur, terminumque et infinitum in natura habere.... atque ipsum principio unum, unum multaque et infinita esse (2). » At hæ partes quæ non sunt materia concretæ altera alteri infestæ nullo modo esse possunt. Docemur in *Sophista* non eadem esse differentia quæ opposita : ergo aliqua similitudo et concordia rebus vel diversis ac secum disparibus potest inesse, dum non sint corporeæ naturæ participes (3). In partibus autem summi principii summus ordo lucet ; ordine enim carens, etiam pulchritudine vacaret, quod sit nefas. Solum Bonum ac Pulchrum sibi sufficit ac nulli invidet. Omnes ergo partes summi principii perfecte concinunt. Amor sui in se summam unitatem in eo conficit, ac felicitatem.

Verum nec perfecte unus nec semper sibi constans

(1) Ex *Timæo*, 30, *c*. — (2) *Phileb.*, 16, *c*. — (3) *Politicus*, 269, *d*.

potest esse mundus hic qui oculis cernitur. Nempe materies qua conficitur multam illi cum motu dissimilitudinem ac deinde varietatem infundit. « Idem esse semper et secundum eadem, et eodem se motu habere solis omnium divinissimis convenit; corporis autem natura hujus ordinis non est compos. Cæterum id omne quod cœlum mundumque vocamus, multa quidem et felicia munera a genitore suscepit; corporis tamen particeps expers omnino mutationis cujuslibet esse non potest : attamen, quoad potest, in eodem et secundum eadem et uno motu movetur : quapropter circuitum est adeptus, in quo minima agitationis suæ sit permutatio (1). »

Quomodo ergo ipsa in dissimilitudine partium ac cursu secum concors ac constans esse potest ? Quod Plato in *Alcibiade* primo his verbis patefecit. « Socrates : Civitas... quo remoto, quove adhibito melior fit ac melius instituitur ? — Alcibiades : Mihi quidem videtur, Socrates : quando amicitia est inter cives ; odia vero et seditiones absunt. — Soc. : Amicitiam vocas consensionem an dissensionem ? — Al. : Consensionem. — Soc. : Per quam artem civitates circa numeros consentiunt ? — Al. : Per arithmeticam. — Soc. : Privati vero an non propter eadem ? — Al. : Nempe. — Soc. : Et unus quisque secum ipse ? — Al. : Certe. — Soc. : Per quam artem quisque secum consentit de palmo et cubito uter major sit : nonne per metiendi peritiam ? — Al. : Quidni. — Soc. : Nonne scilicet privatim et publice ? — Al. : Imo... — Soc. : Consen-

(1) *Politicus*, 269, *d*.

sus igitur quem dicebas quisnam est? circa quod? quæ ars eum præstat? Etenim iste consensus talis est ut insit reipublicæ et privato unicuique ad seipsum et alios. — Al. : Consentaneum. — Soc. : Quis igitur est?.. — Al. : Reor equidem esse amicitiam et consensionem qua pater ac mater filium et frater fratrem, et uxor virum amantes consentiunt. — Soc. : Putasne, o Alcibiades, virum cum uxore circa lanificium convenire, imperitum cum perita? — Al. : Nequaquam. — Soc. : Neque oportet quidem : muliebris enim hæc disciplina est. — Al. : Profecto. — Soc. : Quid vero, mulier cum viro circa opus militare conveniet, cum id haudquaquam didicerit? — Al. : Minime. — Soc. : Virile enim id rursus esse diceres? — Al. : Equidem. — Soc. : Sunt ergo disciplinæ quædam mulierum, quædam virorum, juxta hanc sententiam tuam? — Al. : Quidni? — Soc. : In iis itaque mulieribus cum viris consensus est nullus? — Al. : Nullus. — Soc. : Neque amicitia igitur : siquidem amicitia consensio quædam est. — Al. : Non videtur. — Soc. : Ideo quatenus mulieres officia sua exercent, non amantur a viris? — Al. : Non apparet. — Soc. : Neque viri etiam a mulieribus, dum virilia tractant? — Al. : Non. — Soc. : Non ergo tunc optime civitates instituuntur cum singuli operibus suis incumbunt? — Al. : Hoc ego tamen, o Socrates, arbitror. — Soc. : Quomodo hoc ais, amicitia sublata, qua præsente confessi sumus bene constitui civitates, aliter vero contra? — Al. : Atqui mihi videtur ob hoc inter homines consistere amicitiam quod quisque suum officium exsequatur. — Soc. : Atqui aliud paulo ante dicebas. Nunc autem quo pacto

rursus ais consensionem adhibita amicitia fieri? An potest circa hæc consensus existere, quorum ii quidem periti, ii vero imperiti sunt? — AL. : Fieri non potest. — SOC. : Justane an injusta faciunt, cum singuli quod ad se attinet exsequuntur? — AL. : Justa profecto. — SOC. : Justa igitur agentibus civibus, in civitate non est amicitia (1)? » Fatetur tandem Alcibiades in contrarias sententias se incidisse atque in his implicitum prorsus hærere. Quid rei est? Nonne hic Plato suam doctrinam de concordia dissimilium detegit? Inter dissimiles, inquit, non potest esse de iisdem rebus concordia, nisi (quod subjicitur) varium quisque opus aggrediatur, ut ipse ab altero discrepat. Eadem in civitate quæ in domo oriri concordia potest. At in domo neque vir cum muliere de lanificio congruit, neque mulier cum viro de opere militari. Congruunt ambo atque concinunt quum diversi diversas curas atque disciplinas amplectuntur. Verum necesse est (hoc autem dialogus reliquus ostendit) (2) quemque se ac suam indolem optime nosse ut inter se conantes consentiant : magnum nempe periculum omnibus est quum aliud atque acceperat e natura munus sibi quisque vindicat. Ea est justitiæ ac concordiæ origo, si quæque totius pars optime se noverit ac sibi primo in opere eligendo conveniat, priusquam cum cæteris. Qua propter Plato jacere in arithmetica justitiæ et amicitiæ rationem contendit : quæ ex proportione pendet non ex æquitate simplici.

Res igitur vel corpore impeditæ imaginem summæ

(1) *Alcibiades primus*, 126, *b*. — (2) *Id.*, 128 *e*.

Ideæ qua constans et una est possunt reddere, et earum partes justas invicem ac concordes quam maxime esse licet, dum modo non simili dissimiles ratione in unum coeant, dum sint aliæ alio munere obstrictæ. At qui modus est iste in unum coeundi? Hujus animans machina speciem præstat. Sic vitæ instrumenta concinunt. *Organicam* Græci atque ipsi recentiores hanc dissimilium partium harmoniam vocant. Ergo vitam perfectam ac beatam quæ apud Deum a mundo essentiarum degitur, mundus hic imitatur, ac suo ipse more animal est, quantum corpori licet, perfectum beatumque. Animalia cætera quæ mundo continentur hujus omnia naturæ in partem veniant necesse est. Ea conditione satis constantia ipso in motu, satis una ipsa in varietate esse possunt.

Si ad summam redeamus, hæc est arctior sententiæ platonicæ forma : quæ sunt, duplici natura constant, Eodem atque Altero, sive Dissimilitudine ac Similitudine; Animus semper et ubique idem; corpus autem nusquam et nunquam sibi simile. At quod dicimus esse ex hac duplici natura temperatur, ac quædam *admixtio* evadit; quod autem est animo et corpore mixtum, animal jure vocatur (1).

Quod superest, auctor hujus inter materiam et animum temperationis nobis quærendus. Utrum Deus justos in rebus modos constituit, an ipsæ sponte sua res vita præditæ, qualescumque sint, se ordinaverunt ordinantque etiamnunc? Si *Timæum* inspicimus,

(1) Κὰι μὴν τώ γε δύο φαμὲν αὐτοῖν ἀμίκτω πρὸς ἀλλήλω (στάσις, κίνησις· ταὐτὸν, θάτερον). Τὸ δέ γε ὂν μικτὸν ἀμφοῖν. (SOPHISTA, 254, *d*.)

unum a Platone divinæ moderationis modum conceptum intelligimus, scilicet velut opifex materiam in manibus jacentem tractat atque componit, ita Deus apud Timæum mundum e principio, non immobilem atque inertem, sed incomposito motu trepidantem constituit. E mundo motus oritur; e Deo autem rerum mobilium ordo atque regimen. « Quemadmodum ab initio diximus, cum hæc ordine carerent, singulis Deus et ad sese et ad alia invicem eatenus modum rationemque proportionis indidit, quatenus suscipere singula poterant. Tunc profecto nihil erat ordinis nisi forte casu aliquo particeps, nec quicquam tunc aqua vel ignis, vel aliud aliquid eorum quæ modo apud nos nominantur, jure vocandum erat. Verum hæc primum omnia exornavit, deinde ex iis hoc universum constituit, animal unum, animalia in se omnia mortalia et immortalia continens. Et divinorum quidem ipse auctor, mortalium vero generationem natis suis tradidit absolvenda. Illi igitur suum imitati parentem, principiumque animæ immortale suscipientes, animam ipsam mortali corpore clauserunt, totumque corpus animæ quasi vehiculo subdidere, atque in eo aliam animæ speciem mortalem fabricaverunt, quæ gravibus necessariisque perturbationibus afficerentur (1). » Has autem perturbationes hac ratione intellige : magnas evolvi secundum periodos, prout mens divina mundum aut regit aut sponte sua abire sinit. In una viget ille et secundissimo rerum cursu in melius crescit; in altera violento atque incomposito rap-

(1) *Timæus*, 69, *b*.

tus turbine senescit intabescitque. « Ex his omnibus dicendum est mundum neque se ipsum convertere semper, neque totum semper gemino contrarioque circuitu ab ipso Deo reflecti, neque rursus duos deos contrariis sententiis ipsum vertere. Solum vero quod nuper diximus, restat, alias ab alia quadam divina vi duci, vitamque rursus extrinsecus venientem et immortalitatem ab opifice suo præparatam suscipere : alias autem quando dimissus recurrit, per seipsum currere (1). » Ergo anima, principium vitæ omnis, extrinsecus in corpus vivens descendit; quæ, ubicumque sedeat, vitam sola machinæ instar fabricat ac regit.

Verum series animalium iisdem fatis tota agitur; nempe in immenso rerum nexu, annulus quisque superioris ad effigiem conformatur ut pro virili parte naturam primæ essentiæ reddat. Quo igitur pacto Deus mundum fabricavit, mundus animalia in se viventia fabricet necesse est, atque eodem pacto animus quisque vel humillimus materiem, in quam vim suam quasi infundit, administret. Consequitur ut societatem omnem animalibus concretam unus optime deceat vivendi modus, scilicet ab uno rectore impelli, qui cuncta unus provideat, atque impediat ne moles illa natura incomposita retrocedens ruat in perniciem.

Quamvis ergo Plato misceri ac temperari societatis humanæ contraria elementa velit, scilicet corpus et animam, quamvis ad harmoniam magis hac admixtione spectare videatur quam ad alterius de

(1) *Politicus*, 126, *e*.

altero victoriam, tamen quum Anima superveniens miscendis elementis præsideat atque corporis totius constitutionem conficiat ut in hac divini exemplaris quam maxime similitudinem exprimat, id est ut sibi illud reddat contrarium, oritur inde politica doctrina minime naturalis, sed theologica quæ vitam in corpore administrando magis abolere quam alere possit. Ex animali enim varietatem ac motum partium si tollas, quid ejus ex natura superest? quod quum cōnaris in Deum transfigurare reipsa deles. At antequam repugnantia illa elementa dissidere invicem atque ut ita dicam dirumpi cernamus, quam speciem animantis Plato civitati humanæ tribuerit nobis inspiciendum.

II

De collata cum homine uno civitate.

Homini uni simillima civitas. Abundant loci in quibus sententiam hanc Plato splendide aperuit: quorum præcipuos hic pæne integros non reddere non possumus.

Primum civitatem non discrepare ab homine nisi magnitudine constat apud personas in dialogo *De Republica* loquentes : « Dixi igitur, ut mea erat opinio, quæstionem hanc quam aggredimur (scilicet naturam justiciæ exponendam) non esse contemnendam, sed hominis acute cernentis opus, ut mihi videretur : ac postquam nos aliter non valemus, perinde investigandam esse justitiam, ac si quis non acute

cernentibus litteras parvas proculque positas legendas mandasset : deinde animadvertisset aliquis easdem litteras esse alibi in majori quodam loco majores atque inde operæ pretium censuisset, ut eas primo legentes, ita demum minores, *si eædem sunt*, consideraret... Dicimusne justitiam hominis unius esse? dicimus totius civitatis? — Plane, inquit ille. — Atque civitas nonne major uno viro?... Fortasse igitur justitia amplior in majori inest, faciliorque est cognitu. Quare si vultis, prius quæremus in civitatibus quidnam sit. Idque deinde in singulis considerabimus, majoris ipsius similitudinem in minoris idea contemplantes (1). » Hunc locum si velis singillatim exsequi, videbis Platonem comparationem non eo modo instituisse nisi res collatas *easdem esse* arbitratus esset.

Perge modo : civitatis atque singuli viri eamdem secundum Platonem esse senties virtutem, felicitatem valetudinem, natales eosdem, eadem funera, eamdem partium rationem ac pæne totius figuram.

Quod ad virtutem attinet, in justitia præsertim ac temperantia continetur. « Hoc igitur injustitia est (scilicet quum genera hominum tria confunduntur atque alia aliorum opus proprium usurpant). Rursus autem sic dicimus : quæstuarii, auxiliarii, consularis generis actio propria, uno quoque suum opus peragente in civitate, contra ac confusio illa superior et justitia erit et civitatem justam efficiet. — Haud aliter quam sic se habere videtur. — Nondum omnino istud debemus asserere. Verum si et in cujusque hominis animo species eadem

(1) *De Republica*, 368, *e*, 369 ; *Politicus*, 278, *c*.

considerantibus nobis justitia esse assereretur, tum demum consentiemus... Nunc autem disceptationi huic finem jam imponamus, secundum quam existimavimus si plurium habentium justitiam in majori prius eam contemplaremur, facile deinde in homine uno nos quale hoc sit inspecturos. Visumque nobis est majus ipsum, civitatem, existere, atque ita quam optimam potuimus eam condidimus scientes in bona republica inesse justitiam. Quare quod in illa nobis apparuit, referamus ad unum (hominem) ; et si idem ibi constet, satis nobis erit factum. Si quid autem aliud in uno appareat, rursus ad civitatem conversi, hæc examinabimus ; ac forte alterna comparatione disceptantes, velut scintillas, ex his justitiam excutiemus, eamque jam quum clare micuerit apud nos ipsos stabiliemus (1). » Unde sequitur non solum justitiam in civitate eamdem Platoni videri atque in uno viro, sed etiam huic stare fixum nullo pacto fieri posse ut sit in utraque parte vere sibi dissimilis. Quod si videretur dissimilis, indicium sit erroris, atque recondita similitudo acrius sit quærenda. Idem de temperantia. « Ornatus quidam est temperantia et a voluptatibus cupiditatibusque quibusdam, ut perhibent, abstinentia. Dum vero temperatum hominem seipso potentiorem suique victorem nescio quomodo esse dicunt, et quædam similia, tanquam vestigia nonnulla temperantiæ signant. Annon? — Maxime omnium. — Nonne quod seipso potentius noncupatur ridiculum quodammodo apparet? Quisquis enim seipso potentior, seipso quoque imbecillior erit ;

(1) *De Rep.*, 434, c.

rursusque qui imbecillior et potentior... — Quidni? — Atqui videtur mihi id velle sibi hic sermo, quod in hominis anima duo quædam sunt. Unum quidem melius, alterum vero deterius. Et quum natura melius deteriori dominatur, tunc aliquis seipso potentior dicitur, atque hoc sermone laudatur. Quoties autem propter improbam nutritionem vel consuetudinem aliquam, quod est melius, cum minus ipsum sit, deterioris multitudine superatur, hoc ex opprobrio quôdam seipso imbecillius dicitur et qui ita affectus est intemperans vocatur... Contemplare hac nuper a nobis conditam civitatem, invenies ipsi alterum horum inesse... Contemplor equidem ac vera loqueris (1). » Ergo plures partes sunt in civitatis velut in hominis corpore, atque utrumque animal eadem causa tanquam justùm ita temperans merito appellatur. Hac ipsa sententia aperitur dialogus *De Legibus* : «... Quum quisque nostrum aut superior seipso sit aut inferior, dicendum est eodem se modo domum, pagum et civitatem habere? an aliter?... Non enim minus civitatibus id contingit, imo maxime hoc in eis perspicuum (2). »

At neque civitas ulla, neque vir ullus felix esse potest sublata virtute. Quod manifesto ostendunt varia et publici et privati corporis ingenia atque ut ita dicam indoles. « Dixisti præterea si hæc recta sit respublica, cæteras aberrare. Reliquarum vero rerum publicarum, ut memini, species esse quatuor, de quibus verba facere oportere, earumque defectus inspicere et homines ipsarum similes declarare :

(1) *De Repub.*, 431, *a.* — (2) *Leges*, 626, *e.*

ut eos omnes intuiti et quis optimus sit vir, quis pessimus declarantes, consideraremus numquid vir optimus felicissimus, pessimus autem miserrimus; an se res aliter habeat? (1)...Tyrannicus vir civitati tyrannide oppressæ simillimus. Popularis vir populari, cæterique similiter. — Quidni? — Sicut se habet ad civitatem civitas virtute et felicitate, ita vir quoque se habet ad virum... Age itaque, sic considera similitudinem, memoria repetens et civitatis et viri atque singillatim vicissimque utriusque affectus animadverte. — Dic quales. — Principio, liberam civitatem tyrannicam dices, an servam? — Maxime omnium servam. — ... Quid porro? servum an liberum hujusmodi animum appellabis? — Servum. — Atqui serva et tyranno subdita civitas, minime quæ vult agit. — Nimirum. — Tyrannicus igitur animus minime quæ vult efficiet ut sic de toto animo dicam : sed stimulo semper percitus violento, perturbatione pœnitentiaque redundabit. — Quidni? — Tyrannicam civitatem divitemne an pauperem esse necesse est? — Pauperem. — Animam quoque Tyrannicum mendicum semper et inexplebilem necesse est esse? — Est ut dicis. — Metu vero sollicitari annon necessarium est civitatem talem talemque virum? — Valde. — Lamentationes præterea, suspiria, fletus, angustias, censes in alia civitáte frequentius te reperturum? — Nullo pacto. — In homine insuper alio talia quædam plura inesse putes quam in tyrannico illo qui cupiditatibus amoribusque insanit? — Quonam pacto (2)? »

(1) *De Rep.*, 544, *a.* — (2) *Id.*, 576, *c.*

Quæ æquior et felicior eadem civitas etiam validior erit. Idem de quoque cive. « Nonne talem aliquam vim habere videtur (injustitia) ut cuicumque insit, sive civitati, sive genti, sive exercitui, sive alteri cuilibet impotens reddat id cui inest aliquid secum agendi propter dissensionem atque discordiam. Atqui et in viro si fuerit, impotentem agendi eum reddet, cum secum ipse dissentiat, neque sibimet constet (1) ? » « Virtus igitur ut apparet sanitas quædam est et pulchritudo et robustus animi vigor. Pravitas contra morbus, turpitudo et imbecillitas (2). » Partes autem illas quæ in civitate non secus atque in homine quamvis humillimæ contra nobiliores seditionem movent, tanquam membra putrida recidere ac projicere jus est.

Verum hominis corpus vel quum morbo non laborat, mutat ac fluit indesinenter. Igitur ne uno quidem temporis momento haud secus quam vir unus eadem manet civitas? Ita plane. « Cum (enim) omne quod genitum est corruptioni sit obnoxium, talis etiam constitutio semper manere non poterit sed solvetur. Solutio vero hæc est. Non solum circa plantas, sed terrena etiam animalia fertilitas et sterilitas animæ corporumque contingit, quum revolutiones singulis circulorum conjunxerint ambitus : his quidem qui brevis sunt ævi ambitus breviores, contrariis vero contrarios (3). » Itaque finita cuique ætas secundum genus et viro et civitati. Quidni? Nascuntur nempe æque ac moriuntur. Colonia nascens nascenti puero admodum similis (4). Rursus ingens civitatum numerus adhuc evanuerunt. « Nonne (ab origine

(1) *De Rep.*, 351, *e.*— (2) *Id.*, 444, *d.*— (3) *Id.*, 546, *a.*— (4) *Leges*, 754, *a.*

mundi) per omnem terram urbes multas conditas arbitramur atque destructas, et diversa præcessisse hominum studia, partim cum ordine, partim etiam sine ordine (1)? » Crescunt ergo atque adolescunt perituræ civitates non aliter atque humana animalia. Hoc unum et idem est atque illud.

Imo partes utrius animalis vel exteriores inter se miram similitudinem præbent. Velut enim in quoque nostrum tres partes animus complectitur dignitate dissimiles, sic quæque civitas tribus partibus constat, eadem ratione inter se discrepantes. Quarum humillima in utroque animali cupiditatum vis extremum locum obtinet; fortes ac validi spiritus insuper stant; quibus imperat Mens (2). At menti a sensibus ministratur, qui oculi, aures atque aliis nominibus in homine uno vocantur, in civitate autem juventus speculatrix. « Quo pacto prudentum capiti atque sensibus similis civitas nostra propter hujusmodi custodiam fiet? — Quo pacto hanc, o hospes, similitudinem faciemus? — Patet quia civitas capitis quædam capacitas erit, custodes autem juniores sagaces solertesque supremo in vertice collocabuntur. Unde urbem totam circumspicient, et custodiendo quæ sentiunt memoriæ commendabunt, omniaque senioribus nuntiabunt, qui mentis ob rerum permultarum cognitionem persimiles, civitati consulent, juvenum ministerio usi (3). » Denique caput civitatis philosophiam docti viri occupant, in quibus Mens ipsa sedet, quæ scientia divinarum atque humanarum rerum freta,

(1) *Leges*, 676, *b*; 782, *a*. — (2) *De Rep.*, lib. IV, 433, *b*. — (3) *Leges*, 964, *d*.

cuique aptas partes distribuit, et omnia ordinat ut suum ad finem feliciter tendant. « Oportet sane, o Clinia, in una quaque re congruum singulorum operum servatorem excogitare. Qualem maxime locum in animalibus anima et caput habere videntur... Horum nempe virtus omni animali salutem præbet. Nam animæ quidem ad alia mens infusa est : capiti quoque ad alia visus auditusque est insertus. Atqui ita summatim pulcherrimis sensibus mens conjuncta, et in unum redacta, salus singulorum efficitur (1). » Qua ratione igitur Mens sensibus ad salutem hominis unius utitur, gubernator nautis ad salutem navigantium, imperator inferioris ordinis ducibus ad salutem militum, eadem ratione utuntur decemviri suis adjutoribus ad salutem civitatis universæ.

Multos locos consulto perscriptos retulimus ut pateat hanc comparationem non esse fortuitam neque a nobis ex angulo quodam Platonicorum operum curiose expressam, sed præcipuum in civili doctrina quam inspicimus locum tenere, atque in se quasi omnem sensum contrahere. Jam argumenta quibus eam recta confirmat Plato nullum de hoc dubitare sinunt. Bis enim negat posse fieri ut totum ullum aliam ac elementa quibus constat naturam præbeat et civitas dispar suis civibus sit. « Profecto, inquit in *Republica* nobis necesse est confiteri, easdem in nobis species atque mores inesse quas et in civitate. Neque enim aliunde in civitatem hæc devenerunt. Ridiculum quippe esset si quis iracundam animositatem existimaret

(1) *Leges*, 961, *d*.

nequaquam ex privatis hominibus in civitatem invectam esse, quorum idem est captus, qui et Thracum, Scytharum, superiorumque gentium: aut sapientiæ studium, non ex tali privatorum instinctu qualis natura nostris hominibus est tributus: aut questus aviditatem, non ex ea singulorum hominum cupiditate, qua affecti apprime dicuntur Phænicii Ægyptiique nonnihil (1). » Et alias: « Totidem quoque sunt hominum quodammodo species atque mores. An ex quercu forte existimas aut silice rempublicam fieri potius quam civium moribus, quæ quocumque fluxerint, cætera, secum rapiunt? — Ex moribus procul dubio (2). » Ergo quam humanam naturam cives singuli gerunt, necesse est secundum hanc ipsam legem civitas tota præ se ferat. Illam itaque comparationem inter hominem unum et rempublicam non forte aliqua, sed ex ratione Plato exprompţam exposuit.

At, dicet aliquis, nonne vides necessarium esse alterutrum: res illas collatas Platoni videri aut vere easdem, aut tantum e longinquo similes. Atqui earum æquatio prorsus absurda; assimilatio poetica. Prior plane rejicienda; posterior nec rejicienda, nec accipienda, utpote quæ nihil ad scientiam spectet. — Quod quidem Platoni minime placeret; namque inter contrarium atque idem multos ille gradus agnoscebat neque talibus laqueis irretitus hærebat (3). Ipsa in dissimilitudine similitudinem et in similitudine dissimilitudinem cernere noverat, et res quam maxime dispares aliqua sui parte ducebat merito etiam posse

(1) *De Rep.*, 435, *c.* — (2) *Id.*, 544, *d.* — (3) *Sophista*, 259, *d.*

componi. In qua collatione vis illi magis quam poetica inesse videbatur; namque quum sint omnia ejusdem exemplaris ad similitudinem expressa, omnia inter se quodam vinculo conjungi necesse est. Imitantur omnia mundum terra concretum, qui mundum cœlestem ipse imitatur; at hic summam Ideam quantum potest reddit. Ergo omnia hac parte paria, qua supremum exemplar cominus eminusve referunt. Fatendum quidem a Platone ordinem rerum non fuisse præclare significatum, ita ut satis doceamur quibus intervallis res collatæ distent. Fatendum ab eo nunquam monstratum quænam foret inter hominem ac civitatem via qua ab uno ad alteram possimus explorate transire. Nihilominus una atque eadem idea utraque res ab illo inclusa, scilicet animalis ratione præditi. Quippe animalia, civitas atque homo unus iisdem elementis constant nec nisi magnitudine differunt. Id Platoni satis fuit; quod nobis parum est. At doctrina pedetentim progrediens universa prius quam singula intuetur ac principia rerum in quaque parte ponit ante modos.

Cæterum illo tempore quo Plato vivebat nondum hoc quod recentiores deprehenderunt discrimen inter animata inanimataque apparuerat oculis (1). Cuncta plena Diis prisci philosophi æstimaverant esse; rursus novissimi cuncta animabus plena censebant (2). Scilicet hoc nondum animadverterant: esse in Animo humano vim quamdam quæ eum in partes scindi vetet, aut saltem nondum proprium huic facultati nomen adhibuerant, nec noverant *individua* (3). Omne animal

(1) Cf. in *Timæo* corporis viventis fabricam. — (2) *De Legib.*, 899, *b*. — (3) Cf. Fouillée, les *Idées de Platon*, vol. I, p. 132.

nobis individuum : Platoni autem omne animal machina multis partibus constans ; vix ipse Deus perfecte unus ; ita ut viderimus ex uno et multis constare omnia, vel si qua sint æterna. Quam nos ponimus differentiam inter unum et simplex, scilicet inter partium ordinem et negationem, veteres omittebant. Itaque inter machinas viventes atque machinas vita carentes nullum, nisi quoad numerum atque ordinem partium discrimen cernebant. Physice ac mathematice omnes affectus animi qui nobis animantium speciem præbent interpretabatur. Imo animum ipsum minime individuum ac simplicem in doctrina Platonis reperias, namque noster animus ex animo Terræ haustus, rursus in hunc post mortem dilabitur (1). Adde quod animus idem in viro partibus constat ac plures facultates includit, quorum una immortalis, cæteræ vero mortales frequenter dissentiunt. Hoc solum pacto animus sibi imperare dici potest ; quum pars ejus immortalis mortali præstet. Denique si dialogum *De Republica* volvimus videmus animum in infinitum cupidinum numerum quasi dissipari, quorum alii aliam eum in partem distrahere contendunt. Qua de quæstione, quamvis varias in sententias Plato abiisse videatur, eumdem veluti cursum semper tenuit, atque animos esse numeros quos jungere inter se aut sejungere possis constanter existimavit. Opportune itaque cum critico quodam recentiore (2) omne hoc argumentum his verbis e Philebo extractis claudemus. « Nostrum corpus animam habere fatebimur? Undenam, ó amice Protarche, suscepit

(1) *Timæus*, 42, *b*. — (2) Cf. Fouillée, lib. cit., vol. I, p. 564.

(corpus animam) nisi mundi corpus, quod eadem quæ et nostrum, ac etiam præstantiora continet, animam habeat (1)? » Hunc autem locum atque alios tales quos in *Timæo* abunde esse non ignoras, majoris momenti duces, si velis considerare hic Platonem Socratis doctrinam a Xenophonte alias expressam pæne ad verbum reddere (2). Ergo non est mirum, quum philosophus noster individuos hominum animos non putaverit iisdem illum animis ac mentibus hominem et civitatem ornavisse atque animalium ratione præditorum nomine vocavisse. Quo verbo vita utrumque frui ac principii imperatorii in partem venisse tantum significat.

Vivit ergo civitas Platonica bestiæ, imo hominis instar, maximo vero corpore atque grandi animo prædita. At non est nobis obliviscendum animum hunc in corpus civitatis velut in corpus humanum venire extrinsecus atque spiritus vitalis dissimilem esse. Anima spirans motum incompositum mundo innatum in se fert; animus autem superveniens, tanquam Genius motum hunc componit ac moderatur (3). Necesse est itaque animum immortalem atque mortalem animam diversis viis ad diversa tendere. Quo monemur in civitate regenda atque ejus in corpore administrando duplicem vitam ac veluti politicæ rationem emersuram. Hinc vis divina suopte modo atque arte machinam omnem tractabit, illinc insita corpori atque spiritui corporeo indoles sponte sua partes animalis impellet. Inde fiet ut Platonica doctrina secum dissideat, ac

(1) *Philebus*, 30, *a*. — (2) *Memor.*, lib. I, 38. — (3) *Timæus*, 69, *c*; 90, *a*.

pugnet ipsa sibi res publica. Quam repugnantiam philosopho nostro crimini caveamus vertere. Primus enim duas doctrinæ politicæ facies vidit expressitque : quas posteri conciliabunt. Meminimus illum Anaxagoræ versum : Primum cuncta erant immixta; mens autem ingressa cuncta ordinavit. In Platone cuncta commixta composuit Aristoteles, simul ac curavit secernenda.

III

Vincula civitatis.

Attamen ipse Plato mirabilis quum monstrat quibus modis sponte sua civitas, corporis organici instar sese unam conficiat informetque. Vere incommodus, ne odiosum dicam, quum illi ipsi civitati jugum gravissimum imponit ut eam perfecte unam reddat. Diversæ hæ sententiæ tanquam duplex in eodem alveo rivus primum tractu pari defluunt; mox alter alterum rivus opprimit, atque solus totum alveum occupat. Civitas divina civitatem natura terrestri ortam paulatim superat atque extinguit.

1° Natura.

Natura starent civitates an arte tum vehementi studio apud scholas quærebatur. Acriter Plato contra sophistas defendit civitates natura stare, atque impium errorem redarguit. Sed tu, antequam in hanc quæstionem descendamus, vide quam variæ sint secun-

dum tempora doctrinarum facies; qui tunc legem esse artis humanæ opus contendebant, omnia miscere ac subvertere videbantur; qui autem apud nos, e septimo decimo seculo hanc ipsam sententiam secuti rempublicam nihil aliud esse quam rem a mente excogitatam volunt, atque indignantur audientes eisdem quam naturam rerum reliquam legibus civitates regi, illi optimi cives et habentur et sine dubio sunt. Ex quo, si velis, obiter colligemus non meras doctrinas philosophos sibi invicem opponere, at etiam affectus; verumque cum pravo homine aliquando stare, falsum cum probo, ita ut viro gravi qui scientiam assequi velit multo cautius sit non homines sed doctrinas inspicere, atque argumenta potius quam indignationem adhibere. Ut vero ad sophistas redeamus eorum doctrinam quam in *Gorgia* jam vivide per Calliclem expresserat, rursus in *Republica* per Trasymachum, denique ipse in *Legibus* exposuit Plato; hoc autem ultimo in loco presse ac circumscripte. Duas in partes universus mundus ab illis scinditur. Alteram partem fors creavit; quæ quidem maxima et validissima cœlum capit omne, elementa quatuor, sidera, solem, lunam terramque, atque ipsum plantarum atque animalium genus. Alteram partem ars humana genuit, mancam quidem atque exilem, quæ machinis atque signis constat. Ex hac origine civilia instituta legesque profluunt atque idcirco sunt pæne contraria naturæ. Civilium præterea peritiam aiunt parva quadam parte cum natura, magna vero cum arte concurrere, atque ita universam legum positionem non cum natura, sed cum arte, cujus positiones veræ non sint, con-

venire (1). » Contra quos Plato strenue accingitur. « Si qua, inquit, in hujusmodi rebus vel modica persuasio inveniri potest, non debet legum lator quum modo alicujus pretii sit, labore inde terreri, sed quam maximo ut dicitur clamore potest, priscæ legi auxilium ferre, rationibusque ostendere quod Dii sint (hos enim arte generatos sophistæ contendebant) et quæcumque ipse paulo ante dicebas, atque ipse legi et arti ita suffragari ut vel natura vel non minus quam natura constare affirmet, cum mentis ipsius proles sint, ut recta ratio monstrat (2). » Ergo una mens, secum ipsa concors, omnem mundi harmoniam regit atque eisdem legibus et res natura ortas et res arte conflatas moderatur. E partibus naturæ aliqua ars evadit.

Inde sequitur ut leges civiles e rerum natura hauriendæ sint : optimæ sunt quæ eam imitantur, pessimæ quæ ab ea dissident. Rationes quibus cives inter se conjunguntur, eæ civitatis veræ leges sunt; ceteræ leges fictitiæ. Quod quidem liber *De Regno* inscriptus nos docet his verbis : « Nonne imitamenta quædam veritatis singulis hæc erunt, quæ ab intelligentibus pro virili constituta fuerunt (3)? »

Credas ex illa doctrina sequi mobilia esse humana instituta atque mutari cum temporibus? Male novisses philosophum geometricæ amantem qui mundum in *Timæo* ex triangulis ac spheris confecit : secundum quem naturæ simillima maxime rigent. Quum defendit contra sophistas civitatem esse et naturæ simul et artis opus, destinatum habet eam omni motu atque varie-

(1) *Leges*, 889, *b*. — (2) *Id.*, 890, *d*. — (3) *Politicus*, 300, *c*.

tate solvere. Ars hominum si sit sola legum origo eas sibimet similes efficiat, scilicet male constantes et varias. Naturæ autem consociata, ejus constantiæ fit particeps, atque leges immutabiles gignit. Quam vocat enim Plato naturam nos alio nomine appellamus, atque supra naturam esse dicimus. Hoc primum igitur notemus simul hic naturæ partem civitatem pronuntiari, atque ideo motu vacuam. Quid autem tam pugnat quam inertiam atque vitam eodem in loco ponere? Nonne ars nostra tantum atque noster intellectus res excogitatas inertes fingunt, in natura vero cuncta æterno motu evehuntur?

2° Consuetudo.

Quod natura constat habitum quemdam diuturnum servare necesse est, atque consuetudinem. Namque sicut in homine minutos corporis intimi motus ratio providere non potest, ita in civitate lex scripta quæ rationis partes agit, non potest omnia civium in quaque re acta componere. At viget in corpore cujusque atque in civitate lex altera, non scripta, quam usus rerum quemque docuit, alterius fons atque fulcimen. « Quæ dicuntur a nobis eæ leges non scriptæ a multis appellantur, nec aliæ sunt quæ leges patriæ nominantur quam hujusmodi omnia. Atque quod paulo ante tetigimus, nec leges hæc esse vocanda, neque silentio prætereunda probe dictum est. Hæc enim totius rei publicæ vincula sunt, mediumque tenent inter scriptas scribendasque leges, videlicet tanquam primæ priscæque omnino institutiones. Hæc si probe posita

sint, seque in eis homines recte assuefecerint, conscriptas leges stabili salute tutantur. Sin contra factum sit, contra contingit : quemadmodum in ædificiis accidit ubi si ædium sustentacula subtracta de medio fuerint, concidere omnia cogunt, aliaque ex aliis dejici, et quæ bene superstructa sunt dirutis prioribus corruunt. Atque hæc cogitantes novam hanc tuam civitatem, o Clinia, undique vincire debemus, nihilo prorsus relicto quod fieri potest quod vel ad leges, vel ad mores, vel ad studia pertineat, his enim omnibus civitas nectitur. Alterum vero istorum sine altero permanere non potest (1). » Quæ vis autem mores efficit ac legibus solidum substruit fundamentum ? Recta hominum sententia ; quæ quum in omnibus mentibus meritam auctoritatem obtinet, nulla adhibita pœna, peccati vel voluntatem tollit. At ea recta opinio, quum non ex ratione et doctrina sed ex usu pendeat (2), secundum conditiones temporum et locorum varias florebit vel corrumpetur. Veluti planta quædam certos tractus terræ colet. Interrogat in *Legibus* Atheniensis advena Cliniam de regione in quam deducturi sunt Cretenses coloniam : « Quod, inquit, ad campos montesque et sylvas pertinet, quo pacto disposita est ? — Similis est, ait Clinias, reliquæ totius Cretæ naturæ. — Asperam igitur ipsam potius et sylvestrem quam campestrem esse dicis ? — Aio equidem. — Non est igitur ad acquirendum virtutem incommoda (3). » « Nec enim, inquit alias ipse idem Atheniensis, Platonis haud dubius interpres, nec enim, ô Clinia et Megille, nos fugiat ma-

(1) *De Legibus*, 793, *a*. — (2) *Id.*, 752, *c*. — (3) *Id.*, 704, *d*.

gnam esse locorum ad ferendos meliores pejoresque homines differentiam : quippe alii varietate ventorum et turbine, difficiles et protervi sunt, alii propter aquas, alii propter cibos qui ex terra non solum corporibus commodi atque incommodi oriuntur, verum animis quoque non minus (1). » Jam in *Republica* temporum certorum potestas denuntiata (2). In summa civitates in sinu fortunæ positæ ex illius libidine, aut potius ex voluntate deorum beatam pacatamque, vel infelicem ac turbidam vitam accipiunt. Navi similes summo fluctui rerum aut violento aut tranquillo insident : nec nisi minima sui parte rectorum arte gubernantur. « Ac quidem ego conturbor, inquit Atheniensis lator legum, cum omnia humana fere ita habere videantur. — Qua de re dicis. — Dicturus eram nullum unquam hominem aliquid lege sancire, sed fortunas casusque varios incidentes, leges nobis per omnia ferre. Aut enim imminentis violentia belli, priorem pervertit rempublicam, legesque mutat ; aut summa quidem penuria. Morbi quoque multa innovare compellunt. Pestis etiam diutina, multorumque annorum incommoda, et importuna tempestas. Hæc si quis animadvertat non verebitur idem quod ego exclamare, mortalium neminem legem condere, sed humana omnia fortunis agi. Quod si quis in navigatione, gubernatione, medicina, militari imperio affirmaverit, recte videbitur dicere. Sed rursus et istud similiter de iis ipsis bene dicitur. — Quidnam. — Deum quidem omnia, et fortunam opportunitatemque simul cum Deo cuncta humana guber-

(1) *De Legibus*, 747, *d*. — (2) *Id.*, 546, *a*.

nare. Mitius tamen concedendum tertium superiora, artem videlicet, sequi. Tempestate enim imminente multum interesse arbitror, gubernatoriam habeas artem, necne (1). » At idem Plato, in *Republica* dixerat se posse, vel uno mutato (2), civitatem funditus mutare. Quomodo hæc non discrepantia judicemus, atque hinc innatam naturæ vim, illinc extraneum artificis opus in constituenda civitate non dicamus advocari? Senescens quidem noster, atque inanes perosus Atheniensis populi turbas magis ac magis difficile opus hoc ducebat; sed nihilominus a spe sua deturbari minime patiebatur. Educanda sibi si daretur recens colonia, aut civitas juveni tyranno gubernata, omnia sibi ex sententia processura non dubitabat. Tyrannus, inquit, vere temperans civitatis mores temporis puncto mutabit, sapienti viro legum latori imprimis consociatus. « Hoc enim si accesserit, omnia ferme Deus dederit quod dare solet, quoties civitatem aliquam felicem maxime vult fore... Quomodo vero ubique magnum quid aut arduum existimabimus ut cives eum statim sequantur, qui ita suadet et cogit? Nemo vobis persuadeat, o amici, aliter unquam citius et facilius quam principum exemplo leges in civitate mutari (3). » Ergo quum plantæ minutissimæ indolem nemo unquam se mutaturum profiteretur, utpote natura ortam : indolem totius civitatis ac mores, a natura quos modo dixit informatos, Plato prædicat se funditus e pessimo in melius conversurum !

(1) *De Legibus*, 709. *a.* — (2) *De Rep.*, 473, *b.* — (3) *De Legibus*, 710, *c.*

3° Divisus inter partes labor.

Quanquam hoc corpus reipublicæ idem noster mirum in modum crescens depinxit, ac legem præcipuam ejus vitæ, imo vitæ omnis descripsit. Unum enim fieri nullum animal potest nisi divisa inter ejus partes vitæ officia sint. Hæc laboris partitio totius Platonicæ politicæ principium stat, quatenus naturæ congruit. Quam propius inspiciamus.

Principium vitæ communis in eo quod vir quisque sibi necessaria solus suppeditare non potest, atque eget aliis hominibus. Quot res appetit, nec potest sibi parare, totidem hominum in commercium veniat necesse est. Inde nascitur civitas. Quæ, parva primum, mox crescit in immensum, adjunctis omnis generis necessitatibus. At quum quisque pro aliis laborat, magis ac magis habilis ad hunc quem frequentius exercet laborem fiet, minus autem ad reliquum. Paulatim igitur solum hoc officium cui magis aptus sibi videtur, implebit; et ad cætera cæteri magis idonei sese accingent. Adde quod tempora varia varium opus inducent; senex aliis ac juvenis muneribus fungetur, atque ipsæ anni tempestates varios a viris labores postulabunt. Duplici igitur lege divisus labor, et indolis (id est habilitatis) et temporis; quam optime Plato expressit his verbis: 1° « Considera nasci nos quidem non admodum similes sed differentes invicem, singulosque ad singula opera promptos natura produci. Quid autem, ageretne melius aliquis unus omnes simul artes, vel singuli singulas? — Singuli singulas. 2° Atqui et hoc

manifestum esse existimo quod si nobis in alio quodam negotio occupatis, opportunitas alicujus operis præterit, ejusdem perit et actio. Non enim quod faciendum est facientis otium exspectare vult, sed necessitas cogit facientem opus ipsum observata semper occasione prosequi. » Concluditur : « *Ex his patet singula fieri et plura et melius et facilius quando singuli singula secundum naturam occasione servata ab aliis cessantes efficiunt* (1). »

Sequitur ut ea lege adstrictus alter sine altero civis vivere non possit. Ita primum unum plures conficiunt, necessitate quasi vinculo conjuncti. Sic recentissimi physicorum atque *Œconomici* unam esse compagem partium hinc in quoque animali, illinc in quaque civitate intelligunt, ipsa Platonis verba pæne referentes.

At ne temporum intervalla obliviscamur, citius redit Plato ad alteram doctrinæ suæ partem atque in viscera nascentis civitatis sibi propriam Unius ideam infundere, velint nolint conatur. Quum enim ante oculos crescat hæc civitas omnibus artibus et opibus abundans, ecce subito copiam hanc ut quæ nimio impetu frondescat recidere statuit. Inter sanam ac morbo affectam civitatem, jam multum interesse contendit; prior exigua ac quantum potest simplex; posterior turgida ac magna varietate artium operarumque distracta. Quo vero tempore in morbum abundantia rerum vertitur? Scilicet quum carne homines vesci incipiunt; quum operarii, quibus non eget necessario civitas in ea apparent, venatores, mimi, pictores, poetæ,

(1) *De Rep.*, 370, *a*.

cantores, pædagogi, nutrices, tonsores, bubulci; quos passim commixtos in nascens corpus velut totidem pestes impetum facientes Plato nobis monstrat. At gravior etiam morbus ingruit quum medici atque judices, advocatis sequentibus, necessarii videntur. Aut enim sanus sit homo aut cito moriatur oportet; nec quisquam eget judice nisi legem violaverit aut vellt violare: atqui in sana civitate nullus malus esse potest. Scimus in *Legibus* Platonem judices instituisse; sed non solum vellet judices inutiles esse, at etiam, ut ait in *Politico,* leges! Si vera ejus vota dignoscimus, civitatem quamdam cogitatione amplectebatur parvam, pauperem, simplicem ignaramque, parvo ut maxime commercio ac victu contentam, in qua omnes suum munus si non sponte, at regis nutu vel minimo implevissent (1). In hac civitate nullæ cupiditates sævissent, nullus morbus, nulla nec impietas nec nequititia, nec libido. Sic demum nec poetæ, nec judices, nec medici, nec coqui ulli in hac fuissent, nec impedivissent quin esset vere una. Sed precor ubinam terrarum potest istud somnium vigilantibus oculis unquam videri? Quid est istud animal quod hominem perfectum Plato vocat, quod vescitur herbis atque simul morbi expers est, impexum atque impeccans. Bestiane? Verum cupiditates non novit. An Deus? Deus non eget, vel herbis. Si vero quæras quo jure recidat in civitate sua quidquid ultra quosdam fines fert sponte natura, invenies Platonem oculos habere super Idea defixos, cujus ad effigiem viventem civitatem castigat emendatque. Hic

(1) *De Legibus*, 678, *b* et sqq. *De Rep.*, 372, *d*.

autem idea illa ipsa sine dubio emendanda ac castiganda! Quæ est ista ratio placitum quidquid sibi fuerit, ob hoc quod placet, in cœlo ponere, et æternum renuntiare (1)?

Crescit nihilominus, quamvis morbo affecta civitas; quam utique Plato crescere sinit. Mox ingens numerus civium in classes necessario dividitur. Qui enim carnem edunt terræ vastos tractus appetent per quos pecora educere possint. Fines ergo vicinarum gentium invadent ac bellum ciebunt. Inde exercitum comparare conabuntur. Milites vero suum ad munus idoneos nulla civitas possidebit nisi illos a pueritia educandos curaverit; « si quidem, inquit ipse Plato, tu atque nos omnes recte superiora concessimus, cum urbem constituentes in hoc convenimus impossibile esse unum plures artes bene exercere (2). » Tertia autem classis oritur ex eo quod necesse est viros paucos cuncta in republica providere ac temperare : scilicet magistratus. Quod triplex hominum genus putes tria veluti *organa* in corpore civitatis esse ac viventium partium munus exsequi. At si res attente consideres, videas Platonem eo modo classes definisse ut potius cogitationes viduas, a rebus abstractas, quam partes viventis animalis eas effecerit.

Jam quis est unusquisque aut opificum, aut militum, aut magistratuum quibus elementis constat quæque classis? Magni momenti sunt hæc Platonis

(1) ...παραπλήσιον ποιοῦντες τοῖς θεοὺς μὲν εἶναι φάσκουσιν, ἀνθρωποειδεῖς δε. Οὐτὲ γὰρ ἐκεῖνοι ἀλλὸ ἐποιοῦν ἢ ἀνθρώπους ἀϊδίους, οὐθ' οὗτοι τὰ εἴδη, ἀλλ' αἰσθητὰ ἀΐδια. (ARIST.)

(2) *De Rep.*, 374, *a.*

verba : « In quo plane ostendere volebamus, quod et aliorum civium unumquemque ad unum id opus duntaxat ad quod natura est aptus, ducere decet, ut quisque unum aliquod suum opus exercens, non multi sed unum existat, atque ita civitas tota una fiat, non multæ (1). » Quibus verbis intelligendum est unumquemque civium quamvis plures artes exercere atque plures partes agere possit, uni muneri circumscripte adhibendum esse. Potest apud nos operarius agricola miles simul evadere dum juventute floret; potest idem annis maturus ad res publicas, quatenus par huic muneri a civibus æstimatur accedere; idem secundum vitæ tempora atque etiam uno tempore multiplices facultates exercet, non modo privatas (quæ sunt pæne innumeræ) sed etiam publicas. Non nos fugit Platonem hunc in modum disseruisse de militiæ atque imperii numere quod ab eodem viro alterum in adolescentia, alterum in senectute velle videtur adimpleri (2); non nos fugit eumdem velle femimam et matrem simul et bellatricem esse. Sed si doctrinam in summam consideres, intelliges quemque hominem virtutem unam, munus atque officium unum in Platonica civitate agere atque exprimere; ita ut classis quæque talibus elementis nimirum simplicibus conflata, ipsa unam qualitatem, unum cogitatum, essentia atque actu viduam significet. Respublica has omnes qualitates in se contrahit; est vero solos per philosophos sapiens, solos per milites fortis, solos per agricolas atque artifices læta. (*a*). « Ergo ex minima quadam

(1) *De Rep.*, 423, *d.* — (2) *Id.*, 498, *a.*

gente suique parte, et ex scientia quæ in præsidente et principe parte inest, tota sapiens erit secundum naturam civitas instituta... (*b*). At vero neque inventu difficile est quid fortitudo sit, quave civitatis in parte locetur, propter quod fortis civitas noncupatur. — Quonam pacto? — Quisnam ad aliud quicquam respiciens civitatem vel timidam vel fortem nominat, quam ad eam partem quæ pro ipsa pugnat ac militet (1)? » (*c*). Idem de felicitate. Putas omnes in hac civitate beatos esse? oblivisceris unam unum quemque qualitatem exprimere. « Quemadmodum enim si quis nos figuram hominis depingentes vituperet quod pulcherrimis animalis partibus non pulcherrimos etiam colores apponamus : oculi enim pulcherrimum membrum, non purpura, sed nigro colore essent depicti : decenter utique respondere videamur non oportere adeo nos pulchros oculos pingere, ut ne oculi quidem esse videantur, ac neque cætera membra; sed considerare debere si singulis decorem suum tribuentes, totum pulchrum reddamus; sic neque nunc nos cogas, diceremus, ea custodes felicitate afficere quæ illos quidvis aliud potius quam custodes efficiat... Porro si tibi parebimus, neque agricola agricola erit, neque figulus, figulus (2). » Ergo singulæ classes singulam qualitatem atque ut ita dicam ideam expriment; quæ vero quum ita sint, quid est tota civitas? Animalne vivens, an qualitatum manipulus? Civitatem Plato hac immodica ac præsertim male ducta ἀναλύσει dissolvit, ac subtiles in auras velut discutit ac dissipat, nedum eam ante oculos nostros agentem ponat.

(1) *De Rep.*, 428, *e*; 429, *a*. — (2) *Id.*, 420, *d*.

At, dicet aliquis, facultates animi quibus Plato classes reipublicæ alias confert, nonne vigent atque ipsæ vires sunt? Quo objecto facilius nostram sententiam aperiemus. Notum omnibus est Platonem magistratus eosdemque philosophos menti contulisse, milites custodesve pectori, opifices atque agricolas ventri vel cupiditati. Exemplum ponamus hanc ultimam facultatem classemque. Civibus, ait noster, labori ac quæstui dediti cupiditates similes sunt, cupiditates quidem necessariæ utilibus fabris; cupiditates vero delicatæ et effrenatæ operariis ad luxuriam pertinentibus. Te rogo; sunt cupiditates istæ in homine aliquid abs partibus corporeis quibus insident? Minime, mehercule. Neque harum concursus reipsa similis hominum quæstui deditorum turbæ. Plato illas crabronibus comparat. Prave ut opinor. Nam crabro quisque in se motus causam, essentiamque vivam continet : cupiditas autem quæque nihil est nisi modus quidam corporeæ substantiæ : a qua sejunctus nullum motus nec vitæ principium possidet, præter quod mens ac lingua ei conferat. Eodem pacto classis quæque civium nihil est absque civibus ipsis nisi cogitatio et nomen. Quod si velis corpus quoddam vivum efficere, tibi, quod ad virum quemque attinet, jungenda corpuscula viventia atque certis legibus ordinanda, non facultates, quod ad societatem, jungendi atque ordinandi cives, non virtutes nec Ideæ. Tum quæque corporis particulæ non unam vim nec cives unum munus exercebunt; verum utrinque multiplices dotes viresque vigebunt. Eodem modo omne totum ex his elementis conflatum multijugis qualitatibus præditum apparebit : hinc membra,

cor, jecur, cerebellus, illinc domus, vicus, civitas. Sic demum tanges societatem animali spiranti similem, materia simul atque anima concretam, oculis manifestam, positam in medio. Sin aliter, ac velis qualitates a rebus sejungere, umbram essentiæ atque simulacrum finxeris.

Classes quidem natura informatæ videntur si quosdam locos Platonis adspicias. Aureum, argenteum, æneum ferreumque genus propter insitam sibi diversam indolem sic nominantur. Jam in quoque genere similes liberi parentibus nasci dicuntur : hic natura rerum securum absque voluntate et arte imperium exercet. Hoc vero attende : « Evenit autem quanquam ut ex aureo nascatur argenteus et ex argenteo similiter aureus : cæteraque ita vicissim. Quapropter ipsis principibus et primo et maxime Deus præcipit ut nullius rei majorem curam custodiamque suscipiant quam natorum, ut dignoscant quid ex quatuor his potissimum, illorum animis sit immixtum; et si quis ex ipsis nascatur æneus aut ferreus, nullo pacto misereatur, sed honorem illi naturæ convenientem tribuentes, inter opifices vel agricolas mittant. Rursusque si ex illis nascatur aliquis aureus vel argenteus, honorantes extollant partim quidem in custodes, partim in auxiliarios (1). » Ergo magistratus interpretantur naturæ voluntatem atque soli indolem cujusque quum nascitur dijudicant. Quæ conditio atque origo propriam classium speciem definit. Non habent in se motus principium, at extrinsecus accipiunt. Partes sunt ma-

(1) *De Rep.*, 415, *a*

chinæ non corporis. Sed quomodo unam esse machinam duceremus? Solum animal vere unum est; cujus enim partes nullo pacto sejungi vel etiam loco mutari possunt : quoniam ipsæ vinculum quo cæteris partibus religantur nectunt, atque locum quo insident ipsæ etiam prono quasi pondere deligunt.

Ut illa breviter contraham, una quidem munerum partitione civitas effici possit, ea autem duplici lege: *primo,* ut quæque classis, altera alterius opem poscens, hominibus spirantibus non ideis vacuis constet, et idcirco ipsa possit in partes vicissim abire; *secundo,* ut sponte venientibus viris eadem confletur nec electos e principum arbitratu etiam invitos admittat. In omni enim corpore vita prædito partes libero motu consentire solent et invicem in infinitum organicarum partium numerum dividuntur. Vel simplicissima machina magis quam tria instrumenta continet : quid dicam de compage corporis viventis omnium implicatissimi (1)?

4° Justitia.

Aliud vinculum civitatis justitia. Quæ quidem valido nexu cives consociat, quum constat in jure tenendo ac defendendo, non solum in se sed in cæteris, utpote communo omnium boni. Sic omnes singulos amplectuntur atque peculiarem injuriam suam universi ducunt. At Plato longe alio modo justitiam definit. Eam enim virtutem existimat esse qua quisque in suo

(1) Vid. Leibnitii *Monadologiam*. Erdmann, 710.

munere continetur. At ea justitia vix societate eget ut floreat. Namque vir singulus partibus constat, quarum si una quæque suo munere fungitur, justus extemplo evadit. Concedamus vero eum potius in societate versantem justum fieri, quum se in suo officio continet : credis civitatem hac justitia posse stare? Non sumus hominis unius officii, sed multiplicis; quod jam abunde monstravimus. Imo justitia vera non est, si quis tantum abstineat a munere alieno, atque a re aliena; primus justitia amoris gradus; quæ nos non solum ad abstinendum sed etiam ad agendum compellit, quum omnes suos numeros habet. Strenue nobis opera pro jure conferenda, id est pro hominibus si quos aliquis lædat. Multis in occasionibus injustus est non modo qui arripit, sed qui non ultro dat atque confert. Non ergo sperandum est Platoni suam civitatem hac justitia jejuna ac continenti posse in unum coire. Cæterum cur forent ejus cives vel hoc sensu justi? Duo præcipua momenta homines ad agendum impellunt, utilitas atque amor. Quæ quidem ambo nusquam apud Platonem in animis civium apparent, nisi ut depugnent contra justitiam. Nemo sua sorte ita contentus in hac civitate vivat, ut velit eo ubi fortuna eum locaverit manere. Necesse erit magistratus cuique justitiam imponere quam sponte nemo exerceret : at quomodo magistratibus ipsis justitia imponatur ? Quis custodiet custodes ipsos, in sua maxime conditione infelices? Nullo pacto justam reddes civitatem quæ non sponte jus amplectatur. Quod ad amorem pertinet, quomodo cives inter se dulce commercium agerent, quum magistratus ipsi in civibus nihil nisi numeros atque ideas

vident, quibus disciplina civilis utitur more geometrico. Quamcumque doctrinam de politica re profitearis, si vivis elementis societatem humanam constare sis memor, quum vexari ea atque dolere senties, misericordia et benignitate movebere; ita enim sumus affecti ut pares cum paribus sensus communicemus. Sed vir geometer aut logicus qui de numeris, lineis aut ideis agit, immotus mediis clamoribus ac lamentis manet. Adde quod, quum illi civitas non elementorum suorum ope, sed idearum virtute vigeat, parum refert quin recidat quiquid rationes suas impedire possit. Mille civium jactura, aut totius civitatis calamitas quid est cum ratione recta collata? Vide itaque quam justitiam Plato instituat ut plane una sit civitas : homo illi res vilis (1); ideo quum Dei consiliis obstitit e medio tollendus. Laudatur Esculapius quod « homines et natura et incontinentia morbosos vivere, neque iis ipsis, neque aliis conferre » putarit; abduntur pueri, atque reliquuntur quum aut spurii aut deformes nati sunt (2). Denique non uno in loco purgare civitatem omni nefaria parte jubetur philosophus. Unum ex multis lege : « Cumque pastor atque bubulcus equorumque curator, cæterique ejusmodi greges et armamenta susceperint, non antea curant quam singulis convenientem purgationem adhibeat, porro sanis ab ægrotantibus, generosisque ab ignavis segregatis, altera in greges alios mittent, altera vero curabunt... Sed de cæteris animalibus minor cura... de hominibus vero maximum le-

(1) *De Legibus*, 803, *b*, *c*; 804, *b*. — (2) *De Rep.*, lib. V, 459, *e*; 460, *c*; 461, *c*.

gislator studium habebit... Ac si quis tyrannus simul legum lator sit, difficilibus et optimis lustrationibus uti poterit. Nam exactissima purificatio, quemadmodum medicina quæ validior corporis adhibetur, doloris plena est et cum ultione justa pœnam infert, morte peccantem aut exsilio damnans (1). » Itaque antequam ad constituendam civitatem tyrannus legum lator se accingat, morte aut exsilio pravos suo judicio homines est mulctaturus. Hanc quam appellabimus justitiam aut sævitiam, harmoniam aut partis ab altera mactationem? Dubium est quin ex hoc principio pax et concordia oriantur. At isti peccaverunt aut peccare possint; quid de hoc altero loco ubi vel otiosi e republica tollendi censentur. « Dicebam utique otiosorum et prodicorum hominum genus partim fortius et virilius esse, partim ignavius; et illud quidem ducere, hoc autem sequi, quos deinde hostes fucis in superioribus comparavimus: illos quidem fucis aculeatis, hos autem aculeis carentibus fucis. Isti quidem in quacumque fuerint civitate eam turbant quemadmodum pituita ac bilis corpus. Quos oportet bonum medicum et legum fundatorem non minus quam solertem apum cultorem eminus præcavere, primum quidem ne oriantur in civitate : ac si oriantur, ut cum ipsis favis protinus excidantur. — Ita prorsus agendum. »

(1) *De Legibus*, 735, *a*. — (2) *De Rep.*, 564, *b*. Cf. *Politicum*, 309, *a*.

5° Communis origo.

Amor, inquis, cives devinciet quos justitia tantum impediverit quin inter se fœde misceantur. Primum amore consociabuntur utpotequi ab eadem terra geniti atque nutriti fuerint. Hic opportune Plato Sophistis reluctatur qui præclarissimum humani pectoris affectum quantum in se erat demoliebantur. Plerique enim e civitate sua voluntario exules urbes Græcas percurrebant atque in his erroribus, necnon etiam triumphis, priscam patriam omnino obliti fuerant. Cæterum quum leges in quaque civitate artis humanæ opus esse crederent, iisdem putabant legibus omnes homines posse gubernari, ac dolebant genus humanum diversis institutis ac finibus esse divisum. Inde omnes natura propinquos existimabant declarabantque, non modo religionibus horum temporum sed rationi, ut nunc judicamus, sacrilegam manum inferentes. Jam Socrates his novis rebus obstiterat : Plato magistrum secutus sæpe in has sententias incurrit nunc in *Critone*, nunc autem ipsa in *Republica* atque in *Legibus*. In lubrico sitam ducit civitatem in qua inter hostem et civem nihil intersit. « Ecce ita dico, inquit in *Republica,* quanquam nescio qua audacia, quibusque verbis fretus dicam ; atque aggredior primum ipsis principibus et militibus suadere deinceps aut reliquis civibus quæ ea quibus nos ipsos enutrivimus, erudivimusque, tanquam somnia visi sunt circa seipsos omnia habere. Erant aut tunc revera sub terra intus formati et enutriti ipsi et arma

eorum et supellex omnis. Postquam vero omnino perfecti fuerunt, terra ipsa ut mater eduxit. Et nunc quidem tanquam matri et nutrici regioni huic in qua sunt consulere debent, atque succurrere, si quis eam invaderit, deque cæteris civibus tanquam de fratribus terra genitis cogitare... Estis utique omnes in civitate anquam fratres (1)... » Rursus in *Legibus :* « Hac mente, inquit (agros) ita distribuant ut putent singuli sortem suam toti civitati esse communem. Quippe cum ea regio patria sit, magis eam colere debent quam filii matrem. Hæc enim cum Dea est, domina mortalium est. Idem quoque de indigenis tam diis quam dæmonibus est censendum (2). » Inde numerus civium quem abire in infinitum sophistæ sinebant, imo optabant, Platoni finitus : circumscripti simul fines; neque enim possent magnam vim civium exigui fines capere, neque nimis pauci cives late continuatos fines defendere. Patet autem hos fines eo difficilius defendi quo finitimi populi potentiores aut bellicosiores futuri sint. Nihil ergo ante rem potest de hoc lege sanciri. « Quanta autem multitudo sufficiens sit, non aliter recte discitur quam agrorum vicinarumque civitatum collatione. Ager quidem tantus sit ut tot moderatis hominibus sufficiat, neque majori opus. Tot vero esse debent ut injuriantes vicinos possint depellere et injuriam patientibus auxiliari (3). » — « Et quatenus civitas ita ut nuper ordinata est, temperata existet, maxima erit. Non opinione inquam, sed revera maximam fore, etiam si mille duntaxat propugnatoribus constet. Ita enim magnam

(1) *De Rep.*, 414, *d.* — (2) *De Legibus*, 740, *a.* — (3) *Id.*, 737, *d.*

civitatem unam haud facile vel inter Græcos, vel inter Barbaros quandoque reperies; quæ tamen hujuscemodi civitate multo majores videantur multis invenies (1)... Annon hic igitur pulcherrimus erit nostris principibus augendus civitatis terminus cui cum tanta fuerit tantam regionem tribuere decet, reliquum autem dimittere. — Quisnam terminus? — Arbitror equidem quousque adaucta civitas una permaneat, eousque augendam esse, non ultra. Hoc præterea præceptum custodibus servandum mandabimus, ut nec parva civitas nec magna videatur esse, sed *una* atque sufficiens. » Semel vero finitus, non jam mutabitur civium numerus. Hoc mirum. Quum enim variis in regionibus et locis, secundum magnitudinem vicinarum civitatum numerus civium minor aut major ponendus sit, mutatis his conditionibus, mutandus videtur numerus ipse. Cæterum sponte mutabitur causarum obscurarum nutu. Plato immobilem eum jubet manere. Quo pacto? Hic etiam summa principum potestas rei consulet. « Numerum autem nuptiarum arbitrio principum concedemus ut ad hostes ac morbos cæteraque hujusmodi respicientes, eumdem quam maxime numerum civium servet, neque populosa civitas nimis sit quoad fieri potest, neque vacua (2). » Quos quidem magistratus non modo nuptiarum numero sed etiam puerorum (3) custodes præpositos videmus. Sic igitur adversus Sophistas quum saperet Plato finitam esse corporis civilis magnitudinem defendendo, ipse suæ pugnabat sententiæ eam magnitudinem immutabilibus includendo finibus; illos-

(1) *De Rep.*, 423, *b.* — (2) *De Leg.*, 740, *b*, *c.* — (3) *De Rep.*, 460, *a.*

que fines magistratibus dando constituendos : quasi viventia corpora machinæ instar arte extendi aut minui possint !

6° Communes conjuges, liberi, pecuniæ.

Illa erat vere a natura ducta politica quæ insanas Sophistarum doctrinas redarguebat, de excidendis antiquæ civitatis mœnibus; sed quod attinet ad amorem qui viros cum mulieribus, natos cum parentibus devincit, Plato nescio quam fictam et e nubibus raptam rationem rursus adhibet. Pulcherrimam in *Legibus* sancti conjugii effigiem expressit; at illam a perfecto exemplari longe deflexam ne obliviscamur. In *Republica* conjugium hoc nomine dignum tollit nec sinit ullam esse nisi sexuum conjunctionem. Num sit magis hinc una civitas ? Agnoscit Plato esse quamdam necessitatem *amatoriam* acriorem quam necessitatem geometricam. Ergo feminas viri appetent. Verum quo pacto ? Num genus omne virile, genus omne muliebre diliget ? Res alio se modo habet : singulos singulis necesse est inflammari. En igitur resurgunt illæ discordiæ quas noster e possessione feminarum non communi erupturas credidit. Si commune jus, saltem communis possessio esse non potest. Itaque hic imperium magistratuum adhibebitur : ars naturam iterum emendabit. « Igitur festa quædam erunt legibus designata, in quibus sponsos et sponsas congregabimus, sacra fient et hymni a poetis nostris, celebratis nuptiis convenientes... Sortes quædam tali modo instituendæ ut deterior ille in qualibet copulatione fortunam non

principes culpet (1). » Quo autem consilio sortes illas magistratus miscebunt? Hic videmus divinum Platonem pecorum ritu humana corpora jungentem. Quidquid in recentissimorum doctrinis maxime cum humana dignitate pugnare æstimatum est, hoc noster non dicam permittit velut naturæ jubenti obvium, sed veluti a ratione jussum imponit. « Constat utique quod nuptias deinceps quoad fieri potest sacras instituemus. Essent autem sacræ quæ utilissimæ.— Summopere.— Quonam pacto utilissimæ erunt?... Video equidem tuis in ædibus et venatorios canes et generosos aves frequentes. Numquid ad istorum coitum et generationem quandoque animadvertisti? — Quorsum illud? — Primum inter hos ipsos, licet generosos, nonne sunt et fiunt præstantissimi quidam. — Sunt. — Utrum ex quibuscumque æque fieri generationem permittis? An curas potius ut ex optimis generetur? — Ex optimis. — Num ex tenerrimis quibusdam an senio confectis? An in ætatis flore potius constitutis? — Ex his ipsis potius. — Ac nisi hunc in modum generatio deducatur, longe deterius fore canum et avium genus existimas? — Equidem. — Putas in equis cæterisque animalibus aliter evenire? — Absurdum id esset. — Papæ! o dulcis amice! quam perspicacibus ac summis nobis est opus principibus, siquidem in hominum genere similiter se res habet!... Oportet profecto, secundum ea quæ nuper concessimus, optimos viros (per fraudem magistratuum honestam) mulieribus optimis ut plurimum congredi, deterrimos autem contra deterrimis. Et

(1) *De Rep.*, 460, *a*.

illorum quidem prolem nutrire, horum minime, si armentum excellentissimum sit futurum (1). » Ergo potestas summa rempublicam omnem veluti stabulum administrabit, pulchra pulchris corpora admiscebit, ac siquid deforme in lucem invitis principibus edatur, illud trucidabit! Sciebat tamen Plato longe aliud naturam homines docere. « Non oportet, exclamat in *Legibus*, ut cives nostri avibus multisque belluis sint pejores; permultos enim greges ipsarum videmus integre et caste antequam procreandi tempus advenerit, vivere; sed quum hanc ætatem attigerint, mas feminæ, femina mari conjunctæ juste sancteque in prima perseverantes amicitia reliquam peragunt vitam. Oportet igitur esse eos bestiis meliores (2). » Cur ergo hanc pravam, illam rectam vitæ perfectæ effigiem habet? Cur naturam in vernaculo non in libero armento quærit? Quomodo non videt bestias ipsas optimas et pulcherrimas se invicem seligere, atque ideo genus humanum, immenso (utpote ratione præditum) intervallo præstans, non egere rectore ut ipso instinctu amoris salubrius atque melius fiat? Hæc Plato neglexit quia fixum in ejus mente stabat divinam astrorum societatem esse in nostra exprimendam; ut Deus fabricat administratque deorum cœtum quos nulla genitalis libido invicem concitat, ita civitas a manu sapientum, omisso cupiditatum stimulo, regenda illi videbatur. Sic vita e partibus civitatis ut ita dicam recedit, et tota in summo loco includitur ut inde defluat in partes : id est animal in machinam vertitur.

(1) 459, *a*, lib. cit. — (2) *De Leg.*, 840, *c*.

Quid dicemus de communibus pueris? Omnes juvenes maturæ ætatis viros ut patres amaturos, hos deinde juvenes ut filios dilecturos quum Philosophus contendit, parum videlicet ipse suæ legi confidit; nam alteram legem huic in subsidium vocat, qua imperatur pueros non verbo tantum sed animo atque re illam patrum multitudinem diligere. Ergo si qui sunt in hac civitate teneri et dulces affectus, hi ipsi imperio magistratuum debent excitari. Ne amor quidem sponte orietur! Nihilominus hinc maxime unam rempublicam fore sperat. « Cuicumque enim quis occurret, vel fratri, vel sorori, aut patri aut matri aut filio aut filiæ sive horum natis, seu majoribus putabit occurrere... In hac igitur civitate maxime omnium uno aliquo bene vel male affecto, uno ore clamabunt omnes : Meum bene se habet, vel Meum se habet male... Cum hac opinione ac verbis hujusmodi sequi dicebamus, ut et voluptates communes sint et dolores... In eo igitur maxime nostri invicem communicabunt quod meum dicent : ex qua communione sequetur ut voluptates et dolores communes habeant. Horum vero causa una, cum reliqua civitatis constitutione, est ipsa custodum circa mulieres filiosque communio. Enimvero summum hoc civitatis bonum esse confessi sumus cum civitatatem recte gubernatam similem esse diceremus corporis, cum singulis partibus suis circa voluptatem et dolorem quoque modo communicantis?... Maximi itaque boni causa civitatis nobis patuit esse ipsa inter auxiliarios mulierum filiorumque communio (1). »

(1) *De Rep.*, 463, *c*.

Dic, quæso, num similem esse corporis judicabis civitatem in qua a summa usque ad intimam partes omnes motum patiuntur nedum e visceribus proditum cieant? Sine ullo dubio, quoties, alicujus nostrum digito percusso (1), corpus totum ac tota anima condolent, nunquam id fieri posset nisi sponte quæque pars erecta suam ut ita dicam defensionem susciperet ac vicinas amplecteretur : quod si animæ jussus expectarent partes, nulla nec molestiæ nec voluptates unquam orirentur nec ulla partium inter se conjunctio. Quæ unumcumque animal regit, unde vis hæc appareret nisi e partibus colligeretur, sigillatim arcte cohærentibus? In corpore civili gens aut familia primum organum stetit et stat etiamnunc Hinc omnis ordo atque consensus profectus.

Idem de communi rerum possessione. Commercium Plato non vidit esse inter homines longe validius vinculum quam communis penuria, nam quo nomine appellem hanc omnium quam velit institui bonorum modicorum æqualitatem (2)? Attamen ipse monstravit necesse inter operarios et mercatores laborem dividi. Cur paulatim se ad tantum divitiarum ac mercaturæ, hujus divitiarum præcipui fontis, odium retrahi passus est? Cur hæc atque talia tam in *Republica* quam in *Legibus* frequentia scripsit? « Hinc effusius ad pecunias cumulandas delapsi quanto id preciosius existimant, tanto virtutem existimant viliorem. Annon ita virtus a divitiis discrepat quasi utraque in lance statera sint posita, semperque in contrariam partem decli-

(1) *De Rep.*, 462, *d.* — (2) *De Leg.*, 741, *e.*

Quando igitur in civitate divitia ac divites hono- virtus probique viri despiciuntur (1). » Census , hic utpote honorum origo condemnatus, in acceptus. At nihilominus divitiæ ultimo in onis dialogo etiam acrius culpatæ. Non solum enim vult animæ corpus, divitias corpori subjici; ducit imo lætas res virtuti quam maxime contrarias. « Nam, inquit, viri civilis mentem habentis non ea voluntas est ut nos asserimus quam in legum latore optimo esse multi affirmant, ut quam maximam et ditissimam esse velit civitatem, auro et argento refertam, ac terra marique dominantem quibus addunt ut quam optimam etiam ac felicissimam esse velit, si recte leges laturus est. Sed horum alia fieri possunt, àlia minime. Possibilia igitur volet fundator legum, impossibilia nec volet... Felices ergo et probos esse, quæ simul necessario ferme fieri solent volet quidem, divites autem valde simulque probos esse impossibile (2). » Indum monacum crederes audivisse. Unde ergo illud : *Væ vobis divitibus*, pæne in Piræo, coram mari navigiis ac foro omnis mundi antiqui mercibus onerato a Platone pronunciatum? Non solum credo, quia divitiæ lites generent, et multitudinem opificum turbulentam propagent, et civitatem quin perfecte una sit impediant, in fortunas noster invehitur, sed quia ipse a Pythagoræis scolis atque præsertim a mysteriis reportaverat quidquid augere possit corpus, idem simul animum attenuare (3). Nunquam nobis obliviscendum secundum Platonem vitam vere mortem esse ac mortem vitæ initium, ani-

(1) *De Rep.*, 550, *e.* — (2) *Id.*, 742, *d.* — (3) *Cf. Timæum*, 44, *a.*

mumque quum in corpus descendit omnem vim in se insitam amittere, atque vitæ munera præcipua totidem morbos appellari (1). Corpus autem civitatis iisdem legibus, quibus hominis cujusque corpus, regi compertum est. Quæ quum ita sint, quomodo lætas res ipsis civitatibus non quamdam animi labem existimaverit? Quidquid in Dialogis ab hac sententia recedat, censeamus contra vulgi depravatæ opinioni concessum. Ne miremur ergo eum quod audivimus exclamare : nihil refert utrum jejuna an læta sit respublica dum virtutem exerceat! Quin etiam, nescit (si quod de humine uno de civitate dicitur), utrum referat eam vivere an mori, ut æquum est, cui videntur corporis vices nihil ad animum spectare. « Non abjiciendus bellicosis hominibus is Deus est (scilicet Pluto) sed colendus, tanquam generi hominum semper optimus. Nam animæ corporisque conjunctio nullo modo melior est quam solutio, ut ego serio loquens affirmo (2). » Hinc damnatæ divitiæ, utpote vincula animæ gravantes, et ideo non solum amicitiæ sed maxime virtuti contrariæ.

7° Disciplina.

Hæc sunt instituta Platoni carissima, maxime apta ad unam efficiendam civitatem, scilicet « omnia inter amicos esse communia. » Sed lex parum valida quum suis solis viribus freta veteres mores cœpit funditus evertere. Advocanda educatio quæ radicitus evellat quidquid novis legibus obstet, imo quæ legibus ad-

(1) *De Leg.*, 783, *a*, νοσήματα. — (2) *De Leg.*, 828, *d*.

hortationes suasorias addat quum de quibusdam rebus tacere coguntur. Tyranni est vi civitatem coercere; regis autem volentes cives ad beatam necnon ad probam vitam ducere. Quidquid enim a pueris fuimus assueti, id facile ac feliciter perficimus, pæne inscii. Si vero omnes easdem consuetudines educatione conceperint quam una consentient ac cohærebunt!

Causa horum optime a Platone monstrata. « In omnibus namque viventibus prima ipsa germina, si apte cœperint ad naturæ suæ virtutem, vim habent summam ad finem sibi debitum imponendum. Quod et in plantis evenit, et in brutis tum sylvestribus, tum etiam mansuetis et in hominibus. Hominem enim mansuetum animal esse dicimus. Porro si cum natura felici rectam quoque disciplinam fuerit assecutus, in divinissimum mansuetissimumque animal solet evadere : sin vero non satis aut non bene fuerit educatus, ferocissimum omnium quæ in terris nascantur animal redditur (1). » Quod quidem confirmabitur si quis cum Platone animadvertet maxima incrementa in primis annis hominum naturam accipere.

Intellectus autem qui in homine maturo regia potestate fruitur, in puero debilis. Qui quidem voluptate ac dolore maxime impellitur, et sola hac via ad virtutem tendere potest. Ars ergo educatoria in hoc præsertim constat ut in pueris adhuc insciis sensus isti recte informentur; non prohibita quidem ratione, at tantum admissa quantum crescentibus annis præsens magis ac magis in quoque fiet. Hinc definita disciplinæ vis

(1) *De Legibus*, 765, *e*.

seu « recta voluptatum atque dolorum institutio » seu « virtus quæ primo pueris advenit (1). » Namque « si voluptas et amor dolorque et odium recte in animos influant antequam ratione moveantur, et ratione deinde præsente, rationi consentiant propter superiorem bonorum morum consuetudinem, hæc ipsa consensio, universa virtus est (2). »

Quæ quidem consuetudo numquam ocius puero admoveri potest. In ipso matris utero incipit. Est enim quædam puerorum nondum natorum exercitatio, maxime illorum incremento necessaria, quam cuique sua mater frequenter deambulans impertiet adhuc gravida (3). Eumdem deinde ulnis nutrices circumferent, ut motu vanos terrores expellant. Denique primis ab annis observandum qualis sit cuique insita indoles ne ferreum genus argenteo aureove admisceatur.

Nunc autem vertitur sententia Platonis. Qui plantarum instar juvenes jubebat educi, quemque suam secundum indolem, alias petit ut eorum animus velut tela coloribus vacua totus a philosopho pingatur ac lineis distinguatur. Locus hic perscribendus, cui vix tu fidem adhibearis, quum memineris superiora. « Cum pictores hi civitatem et mores hominum quasi tabulam quamdam acceperint, in primis eam purgabunt quod nequaquam facile sit. An nescis hoc præcipue ab aliis philosophos discrepare quod neque privatum neque civitatem tangere, neque leges condere tentant antequam vel hæc purgata susceperint, vel ipsi purgaverint? — Et recte quidem. — Annon describere eos

(1) *De Leg.*, 653, *a.* — (2) *Id.*, 653, *b.* — (3) *Id.*, 789, *a.*

post hæc putas reipublicæ formam? — Quidni? — Deinde agentes hæc ut arbitror ad utraque frequenter respicient, ad illud scilicet quod natura justum ac temperatum existit, cæteraque hujusmodi, atque iterum ad humana, et ad superioris illius exemplar humana disponent (1). » Ergo purgandus animus qui philosopho educandus datur, omni insito sensu atque omni ante accepta opinione : natura illi prior exuenda, atque altera induenda : vide autem quantum altera priori discrepet.

Notum omnibus a Platone disciplinam totam *Choream* vocari, quæ in duas abeat partes, scilicet hinc in *Gymnasticam* artem, illinc in *Musicam*. Ambæ autem ad divinum exemplar instituendæ sunt; immobiles idcirco illius instar ac semper eadem fient. Ægyptus a Platone valde laudata, quia apud illam vel joci puerorum semper iidem per sæcula servantur. Contendit enim nullum animal nisi maximo periculo commutationes pati. « Mutationem aio omnibus in rebus præterquam malis esse perniciosissimam... corpora quidem cum primis cibis aliquibus et potibus laboribusque utentur, turbantur quodammodo, deinde ex diuturno harum rerum usu concrescunt, pinguiaque redduntur; atque hujusmodi victu utpote ita consueto familiari et amico delectantur admodum et optime valent : at si ex probabili aliqua causa ad aliam cogantur transire dietam, in morbos initio conturbata incidunt, antequam novo victui consuescant. Idem quoque in cogitationibus hominum animorumque naturis fieri

(1) *De Rep.*, 501, *a*.

cogitandum (1). Inde eo modo concluditur. « Nusquam cognosci assero quam magnum ludorum genus ad legum conditarum stabilitatem et mutationem habeat potestatem. Quippe si hoc ita ordinatum fuerit ut iisdem ludis secundum eadem et eodem modo iidem homines semper utantur et delectentur, leges quoque serio positas stabiles manere permittit. Sin autem mutetur id genus, novique ludi quotidie inducantur, semperque novis delectent inventis,... pestem hac nullam civitati majorem fore censemus, recte admodum judicantes. Mutat enim juventutis mores occulte, facitque ut prisca quidem vilia, nova vero honore digna videantur. » Eadem ratione et in cæteris rebus acrius mutationes condemnatæ, quoad ad disciplinam juventutis attinent; ita ut saltationes, exercitationes, cantus, carmina, doctrinæ eadem stare oporteat, ac Diis dicata immota conservari.

Adverte primum Platonem legem hanc quam mentibus imponit a corporibus ad animos transferre. Sequere enim hanc rationem : — Corporibus mutatio periculosa; animus ergo nihil mutandus; — senties præmissam deesse quæ Platonicæ doctrinæ prorsus repugnet, scilicet : atqui eadem animus qua corpus lege adstringitur. Itaque disciplinam puerorum primum ad divinum exemplar informari contendit, dein quum exemplar illud quasi de cœlo ductum detegit, en pingit illud ex similitudine corporum viventium, atque eadem mentita; nam mutatio corpori viventi non solum necessaria sed etiam optima dum illi pede-

(1) *De Leg.*, 797, *d*.

tentim accedat. Nec solum corpus organicum mutabile : nobis etiam compertum mentem rerum maxime flexibilem ac mollem esse, atque facillime se omnibus temporibus ac locis accommodare, quæ circum continuo mutantur. Imo ubicumque sedet, ipse continui motus principium apparet, ac cuncta ipse indesinenter mutat, convertit, exsuscitat. Nihil ergo in natura rerum videtur immobile nisi quod mente careat atque ultimum inter corpora obtineat locum.

Non est inficiendm menti opus esse has inter perpetuas conversiones firmo ut ita dicam fundamento ac stabili regula. Quod Plato optime intellexit. Verum istud fundamentum istamque regulam in se mens nostra non valeat reperire, nisi quatenus immotas materiæ leges suis in cogitationibus exprimendas curaverit. Vis eam, omni animanti insita, impellit ut suam utilitatem quærat, ac melius aliquid appetat semper; sed ab illo fine in æternum longe deduceretur nisi certis sciret conditionibus se eum assequi posse. Has autem conditiones hominem naturæ leges docent, ejus cupidinibus non semper consentaneas, imo sæpe contrarias. Periculosum idcirco homini sit cupidines suas sequi, vel Idearum nomine ornatas, non vero leges mundi e rerum experientia ductas.

Illud dein attende unde defluat secundum Platonem ista in corpora et animos disciplina. Quæ morum origo est, ac per mores legum, atque omnis publicæ vitæ. Quod si in quaque domo pater eam ac mater cuique puero imponerent, vere viveret corpus civitatis. Quo pacto, morbo vel affecta respublica posset ipsa se erigere, tanquam in corpore læso omnes partes simul

laborant ut vulnus sanetur atque expellatur sanies. Tunc intelligi posset (quod Plato vere mirum renuntiat) (1) quam solida natura sint ac valida civitatum plerarumque corpora. At longe alia nostro philosopho mens est. Aut familian tollit aut nullam illi in educandis pueris auctoritatem relinquit. Unde rursus illa disciplina orietur? Scilicet e philosophis, rectoribus civitatis. Qui classes describunt, leges figunt, matrimonia nectunt custodiuntque, bona dispensant, iidem modum educandorum infantium statuent, disciplinam ac doctrinam moderabunt, poemata condent aut corrigent, sententias edent quas magistratus ad hoc munus præpositi auribus juvenum obmurmurabunt. Ergo quidquid maxime intimum sit in vita civitatis ab illorum nutu pendebit. Illi vero perpauci nisi unus in se omnem potestatem contrahat. Vita omnis in civitate e capite isto defluet. Unus pro cæteris cogitabit ac pæne spirabit. Qui nisi Deus sit quantum periculum ab illo veniat vides. At Deum esse aut Deo proximum ne dubites : quod quidem restat ut demonstremus.

8° Leges atque imperia.

Mirarer, dixerat Socrates, armenti custodem quum partem hujus jugulaverit, atque alteram partem maxime exilem fecerit, non velle confiteri se malum custodem esse ; at mirabilius sit hominem suis civibus præpositum, quum partem alteram horum perdiderit atque alteram corruperit, non erubescere nec fateri

(1) *Politicus*, 302, *a*.

se malum magistratum. Hoc de Tyrannis qui tunc Athenis imperabant dictitaverat; re autem illis delata, in iras Tyranni exarserant atque legem scripserant qua prohiberetur unusquisque cives doctrinas docere. Tum Socrates, ad Cliniam et Chariclem vocatus, multis minis obnoxius, quum eos interrogaret quis imponendus esset suis questionibus modus; num, verbi causa, virtutis definitio illi omittenda? — « Etiam, respondit Charicles, linque bubulcos tuos; sin minus in pecore detrimentum capies. » Quo verbo satis significabat pastoris atque principis collationem nimis fideliter relatam, causam esse cur Socratem odissent (1).

Hoc vero notabile Platonem, Socratis discipulum, frequentissime illam collationem usurpare. In illa *Politicus* omnis nititur, atque ipse *De Republica* dialogus, quem non jam Socraticum appellabis utpote Idearum doctrina nimis imbutum, sæpius illam retulit. Quam audiamus a Platone ipso expressam. « Regia majestas, inquit, non animatis instar architecturæ non præsidet, sed generosius animantibus, ejusque potestas circa ista versatur? — Optime. — Circa generationem nutritionemque animalium cura duplex invenitur. Animalis cujusdam unius hæc; gregis totius illa. — Recte. — Civilis autem non privatam unicique curam gerit, quemadmodum qui bovem agitat vel minister qui sternit equum, sed illius vicem gerit qui equos aut boves pascit? — Verum esse videtur quod nunc est dictum (2). » Merito igitur Rex appellatus « pastor et nutritor humani gregis (3). » Jam in *Republica* defen-

(1) Xenoph., *Memor.*, I, 1. 12; Cf. Fouillée, *Socrate*, vol. II, 395. — (2) *Polit.*, 261, c. — (3) *Id.*, 268, *b*, νομέα κὰι τροφὸν ἀγέλης ἀνθρώπίνης.

dit Socrates contra Thrasymachum pastorem gregis ad maximam gregis utilitatem eum administrare. « Nunc autem vides, Thrasymache, ut superiora iterum resumam, quod quum primo verum medicum definitus, ægrotantium curatorem, deinde non ita sincere pastorem definiendum putasti, ut quatenus pastor est, duntaxat custodiat. Imo pascere ipsum oves quatenus est pastor arbitratus es, non ad ovium utilitatem sed ad voraginem potius, non tanquam pastorem, sed convivam qui vesci debeat, vel pecuniæ studiosum qui sit venditurus. Profecto pastorali arti nihil aliud curæ est ut quod custodit se optime habeat (1). » Quæ quidem collatio eademque ratio non semel neque temere usurpata sed etiam atque etiam (2) ex consulto : ita ut eo solo indicio pateat Platoni videri homines nullo pacto recte gubernari nisi a rectoribus alio genere ortis, pari fere modo ac sunt boves a bubulco, equi a superjumentario educati ac tractati. Sed illud nequaquam dubium superesse potest si quis legat attente hunc dialogi *De legibus* locum in quo sub specie fabulæ priscum ut ait, sed (quod alias vidimus) sua sententia optimum societatis humanæ statum detegit. « Fama profecto beatæ illius vitæ usque ad nos pervenit... Cum intelligeret Saturnus, quemadmodum ipsi narravimus, nullam hominis naturam res humanas ita gubernare posse ut si omnibus arbitratu suo dominetur, lasciviori superbia injustitiaque non repleatur; cum hæc inquam non ignoraret, non homines, sed divinioris prestantiorisque generis dæmones civitatibus nostris

(1) *De Rep.*, 345, *b.* — (2) *Id.*, Canibus custodes collati, et alia hujusmodi, 375, *a;* 416, *a;* 451, *c;* 466, *c.* *De Legibus*, 906, *e;* 907, *a.*

reges principesque præfecit. Quod nunc nos in ovium gregibus, aliorumque cicurum armentis facimus. Non enim bobus boves, nec capris capras præficimus, sed nos ipsis genus melius dominamur. Similiter Deus, homines amans, genus dæmonum generi nostro præstantius nobis præfecit, quod summa tam sua quam nostra felicitate nostrarum rerum curam habebat, pacemque et pudicitiam, libertatem et justitiæ copiam præbens, procul a seditione ac felix hominum reddebat genus. Hic utique sermo, veritate usus, asserit civitatibus omnibus quibus non Deus sed mortalis aliquis dominetur, nullam unquam malorum laborumque fore quietem. Sed omni nos studio imitari jubet vitam quæ sub Saturno fuit (1). » Eadem ratione videbis in *Civili* seu *Politico* homines primum beatos, tum multis malis laborasse quum divinus eos Pastor ac dominus deseruerit. Omnia ex hoc in pejus ruerunt, civibus magis de die in dies suos rectores æquantibus, et immissa quæ humanæ naturæ subest fera bestia, verus rex tanquam in apium examine princeps, subito oculis refulget, utpote genere e præstantiori ortus.

At, dicet aliquis, quoniam Plato dolet genus hoc præstantius nusquam jam reperiri, eo ipso declarat sibi omnes homines nunc æquos esse, nec ullum cæteris merito imperare nisi illis ratione præstet. Ne igitur nobis civitatis humanæ regimen tanquam pecoris describas; omnes cives una Ratio pascit, atque in unum redigit. Quod significat præclare supra prolati

(1) *De Legibus*, 713, *c*.

loci finis : « Hic utique sermo nos jubet imitari vitam quæ sub Saturno fuit, » quibus subjicit Plato : « et quantum in nobis est immortalitatis, ipsi obtemperantes, privatim et publice domos civitatesque gubernare, ipsam mentis in qualibet re dispensationem legem nuncupantes. » Ratione igitur cujusque conflata lex vere in civitate regina erit. Hæc est mera Platonis sententia, quæ cum recentioribus doctrinis congruit, nec est ullius libertati noxia. Ut enim emergat lex rationi consentanea, cuique civi sua ratio expromenda ; quo pacto rursus vita corporis civilis resurget, soli rationi quæ sibi insita stat obtemperans. Hinc una sponte civitas evadet. — Si vis autem æstimare quantum hæc quam tu profers sententia toti Platonicæ doctrinæ repugnet, tibi loci pæne innumeri respiciendi, in quibus noster multitudinem impotentem ac ratione carentem depinxit, atque in paucis reposuit, cum rationis recta interpretatione, omnem virtutis ac legis instituendæ curam. Ut cætera omittam, ipso in *Politico* hoc lege quod nobis pro unico argumento stabit : « Nulla unquam multitudo potest ea disciplina præcellere qua secundum mentem civitas regatur ; sed recta illa civitatis administratio vel apud unum, vel apud paucissimos certe est quarenda. Cæteræ vero tanquam imitationes quædam ponenda videntur, ut paulo supra dictum est hanc nunc quidem in meliorem partes, nunc in deteriorem imitantes (1). » At ipse Plato audiendus ac perlegendus quum acerbe cavillatur navigantes qui vectorem, morbo affectos qui medicum ipsi

(1) *Politicus*, 297, c.

eligere animum inducant, aut quum tyrannum monstrat bestiæ populari indigne lenocinantem. Hinc satis apparet eum quum in *Legibus* civitatem scriptis parentem institutis finxit, adulteram veræ reipublicæ imaginem conscium expresse. Leges voluntatis unius non possunt vicem gerere nisi quod inclinati mores in deterius lapsi sunt, et illi divini pastores, quondam rebus humanis præpositi, iniquo nunc fato depulsi, a statione discesserunt. Non hæret Plato quum se interrogat utrum sit unius voluntas an legis melior habenda. Splendidas quidem in dialogo supremo legibus laudes tribuit, atque illis magistratus ipsos ministrare voluit; sed ante in dialogo *De Rege* quum rem in utramque partem versavisset, suam declaraverat sententiam his verbis : « Quum sola hæc quem memoravimus recta civilis gubernatio sit, nonne cæteras hujus institutis utentes servari necesse est, dum agunt quod modo laudabamus, quamvis rectissimum non sit? — Quid illud? — Quod nemo quicquam præter legés committere audeat et quisquis audet, morte mulctetur... Id autem est *secundo loco rectissimum* atque honestissimum; primo namque in loco ponendum quod est dictum (1). » Imo leges, multitudini civium immutabiles habendas, vi perrumpere ut in melius corrigat vir regius jure poterit. « Nam ut gubernator, ad nautarum navisque salutem respiciens, non scriptis sed arte quasi lege quadam nautas servat, ita et vir ille vere civilis, et apud eos qui ita dominari possunt recta est rerum civilium administratio vim artis legibus

(1) *Politicus*, 297.

potiorem adhibens. Ac summatim quidquid prudentes principes agunt, nunquam delinquunt (1). » Intellige quidquid agunt sine lege vel etiam adversus legem.

Verum seu legum lator legibus obediat seu eas suo arbitrio figat atque refigat, instituta civilia optima non multorum sed unius aut paucorum rationem referunt. Unde autem in rationem prudentium virorum prudentia defluit? Quo ex fonte manat in illorum mentem Boni ac Justi notitia? Totus sextus *Reipublicæ* liber respondet. Fit philosophus, civitatis rector aut fundator, intelligentia veritatis aut Essentiarum communione prudens; Essentiæ autem Boni genus sunt; custos ergo reipublicæ nisi Bonum ipsum perspicit, saltem ejus filium Verum dignoscet atque, sicut oculus non solis at luminis fit particeps, per scientiam valebit perfecti naturam assequi (2). Deus ergo philosophi ministerio civitatem gubernabit; Deus præsens in hujus ratione huic suum demandabit imperium. Quomodo cæteros homines ejusdem esse naturæ judicemus? Vir quisque alius in se belluarum similes cupiditates alit; ille et in se et super cæteris Deum inducit regnantem, omnis harmoniæ ac concordiæ principium. Submittenda ergo viro philosopho multitudo omnis imperitorum ut concors ac beata vivat. « Nonne ut hujusmodi vir a tali quodam duce regatur a quali et optimus quisque regitur, servum ipsum dicere debemus optimi viri, divinumque in seipso imperatorem habentis : neque ad subjecti jacturam parere illum debere superiori censemus, quemad-

(1) *Politicus*, 297. — (2) *De Rep.*, lib. VI.

modum de subditis omnibus Thrasymachus existimabat, sed quia præstat cuique divino sapientique principi subjici, maxime quidem si talem in seipso principem habeat; si non habeat, principi huic saltem exteriori; ut omnes simus, quoad fieri potest consimiles et amici, eidem principi subjecti (1). » Ac ne quis fallatur adjicit Plato idem a patribus in pueros imperium exerceri.

Ergo pendet totius corporis civilis vita e mente prudentes viri, quæ e Deo pendet. Principium motus recti Deus in mente, mens in philosopho, philosophus autem in civitate. Quam prudens vir in unum redigit virtutem omnibus partibus imponens, id est justitiam. Hoc est Platonicæ doctrinæ de civitate fastigium ac summa.

9° Anima divina.

Quamquam non dubito asserere Platoni reipsa vita præditam videri civitatem. Ne nostra memoria excidat artis miracula secundum Platonem naturæ ipsius partem esse. « Multæ occasiones, inquit in *Legibus*, solvendæ reipublicæ quemadmodum navis aut animalis cujusdam esse videntur, quarum licet una natura sit ubique diffusa, eas tum intentiones fulcimentaque et nervorum extensiones multisque aliis nominibus appellamus (2). » Quo loco satis apparet, ut mihi videtur, nullum secundum Platonem inter animantia et machinas humana arte structas differen-

(1) *De Rep.*, 590, *c*; *De Legibus*, 716 *a*, *c*. — (2) *De Legibus*, 945, *c*, Vid. imprimis *De Leg.*, 644, *d*.

tiam naturæ inesse. Civitatem ergo simul vivere et impelli extrinsecus non videtur illi contrarium. Inde toties inducta Patria spirans atque loquens, non veluti leges in *Critone* poetice ac per jocum, sed serio quasi persona vere animata. Omitto hunc ipsum ex *Critone* locum; alii non minus aperte rem significant « Cum ea regio, » quod dicitur in *Legibus*, « patria sit, magis illam colere debent quam filii matrem. Hæc enim, quum Dea sit, domina mortalium est (1). » Quænam vero Dea? Scilicet una ex animis quæ cuncta suopte motu impellunt et secum invicem sociatæ unam totius mundi animam conficiunt. Omnis hæc doctrina decimo *Legum* in libro tibi adeunda; magis enim effusa est quam ut possimus ad verbum referre. Sic autem concluditur, eo quidem modo quo simul unam genere ac munere multiplicem esse animam intelligatur. « Animam cuncta gubernantem et in omnibus quæ moventur habitantem nonne et cœlum gubernare necessario confitebimur? — Omnino. — Unam igitur an plures? Plures certe ut ego pro vobis respondeam. Nec pauciores quam duas ponere debemus, unam beneficam, contrariam alteram. Recte admodum. Universa ergo quæ in cœlo sunt, quæ in terra, quæ in mari, suis motibus anima ducit : quibus nomnia sunt *velle, considerare, curare, consultare, recte et non recte opinari, lœtari, dolere, audire, metuere*, *odisse, diligere*; et cæteris præterea motibus omnibus, qui horum affines primique sunt, quod et secundos corporum motus suscipientes omnia in augmentum decrementumque per-

(1) *De Legibus*, 740, *a*.

ducunt : concretiones vel condensationes et discretiones, vel rarefactiones, et in ea quæ ista sequentur,... et denique omnibus quibus anima usa, si intellectum quoque semper divinum acceperit, recte cuncta diis recta feliciaque perducit; sin vero amentiæ conjuncta fuerit, omnia his contraria facit. » Sed « constat optimam animarum totius mundi curam habere concedendum esse (1). »

Anima autem quamvis corpori principium motus sit, et possit ab illo conturbari ac retardari, quasi pondere currus auriga, illius vices non patitur, nec quum illud in partes abit, ipsa dissolvitur. Semper manet sibi similis; haud secus atque auriga qui de curru fracto in alium integer transit, moriente corpore, vivere non desinit. Quæ sint animæ civilis fata Plato non declaravit, nihil autem impedit quin eadem ea quæ uniuscujusque animæ esse arbitremur. Ergo in machina illa organica quam civitatem vocant, pars præstantior, motus origo, extrinsecus veniens velut sedit et ut ita dicam vehitur, mox in aliam transgressura. Recta respublica Dei apud homines visitatione oritur. Quod *Menonis* finis præclarissime confirmat, monstrando virtutem rectæ gubernationis unicam, ut vidimus, causam, cuique non mente nec voluntate sed divina sorte supervenire. « Si autem nos in omni hac disputatione recte perscrutati sumus, virtus utique nec doctrina, neque natura nobis aderit, verum divina sorte, absque mente in eum qui eam sortitus fuerit influet, nisi forte quis ex civilibus talis existat ut alium

(1) *De Legib.*, 896, *d*.

quoque civilem efficere possit. Qui si exstiterit talis hic inter viventes erit qualem Homerus ait Tiresiam inter mortuos esse, sic dicens : Inter eos qui apud inferos sunt solus sapit, cæteri veræ umbræ volitant. Similiter et civis hic ad alios tanquam ad umbras se haberet... Ex hac itaque ratione, o Meno, divina sorte virtutem adesse cuicumque adsit apparet. »

Verum diximus ea ratione Platonem in contrarias sententias abire. Illud nunc perspicuum; anima enim et ratio et lex immobiles, aut motus semper ejusdem causæ. Corpus, parte alia, violentum ac turbulentum. Quidquid vitæ particeps est vidimus secundum ipsum Platonem ne uno quidem temporis momento idem stare ac sibi concors. Inde certamen acre necessario orietur inter duas has quas æque noster vocat naturas, naturam scilicet corpoream, alteramque (1). Itaque politicam doctrinam illam secum ipsam penitus repugnare patet atque civitatem exemplaris illius ad similitudinem expressam, si qua sit, non minus interiori bello dirumpi : ita ut nec una, nec stabilis esse possit. Quod erat nobis demonstrare propositum.

(1) *De Legibus*, 892, *a*, *b*.

EPILOGUS

In has angustias Plato incurrit, quia duplicem inscius methodum inivit; hinc rerum naturam, illinc suam, ut aiebat, rationem, at potius cupidinem magistram secutus. Credis viventem civitatem eum tam feliciter partim expressisse, nisi eam observasset, ac vitæ omnis leges velut præsensisset? Quo solum pacto intelligitur Aristotelem tanto in naturam studio præditum partem hanc Platonicæ doctrinæ pæne totam retulisse et magistri politicam potius emundavisse quam auxisse. Non satis adhuc de his laudatus Plato, ac vellem ab omnibus audiri (quod pæne incredibile forsan quibusdam videretur) illum primum omnium inspexisse naturam societatis humanæ, bestiarum cœtibus comparavisse, similitudines vidisse ac præsertim viventem intellexisse civilem compagem quam animalis instar docet nasci, senescere, morbo laborare, in partes sponte abire, laborem in eas dividere, consuetudines servare, denique omnem præ se ferre unius hominis habitum. At eo ipso tempore quo tam pulchram doctrinam naturæ rerum præclare congruentem edebat, nescio quam in cœlo captabat civitatis umbram, quam civitati viventi et agenti ut foret una superaddere moliebatur : quasi illa per se ipsam una fieri non valuisset! Quam ideam, civitatis cœlestis imaginem, putabat sine dubio se in Deo ipso perspicere, ac ore grandiloquo pandebat, velut mysta, carmine nocturno

ebrius, quidquid viderit, narrat rediens ; ita ut quidquid postea mystam redoluerit, e Platone haustum merito videretur. Quam secundam methodi partem aut potius secundam methodum, prorsus fictitiam nos existimamus. Constat enim hanc civitatem e cœlo quasi demissam, e Spartanis et Ægyptiacis institutis male quidem usque ad Platonem perlatis, conflatam fuisse, quibus elementis commixta si aliqua Pythagoræa et Eleatica principia addas, illud præsertim : omnia quæ vera sunt esse una atque æterna, habes illud divinum exemplar, toties ab illis ipsis prædicatum qui maximo studio maculas in eo vere turpes notarent. Ne nos diutius hunc amoren Boni quo Plato incendebatur prætendi ante oculos patiamur, ac verum obnubilare : hoc verum stat, scilicet suam *phantasiam* illum cum rebus miscuisse. Non igitur somnia ejus, quamvis aurea, sed res retinendæ. Rationem non quod velimus e doctrina depellere, sed memoria tenemus eam, sine rerum inspectione vacuam ac phantasmatibus frequentem, egere naturæ fecundo contactu ut sit sive de re civili, sive de quacumque parte naturæ veritatis ferax.

Vide enim quibus vitiis hæc methodus laboret quæ ideam hic veri regulam ponit.

Quomodo vir sanus ideam hanc quæ dicitur a ratione hausta, etiam in omnibus mentibus similem existimare possit, quum secundum locos eam mutare constanter cernere est. Ideam felicis vitæ ac læti consortii quæque gens sive præteritam, sive futuram in cœlo reponit, aut, quod recentiores solent, in terra admodum mutata, sed ubique suis moribus congruentem ac de cupidinibus veluti consentaneam. Quo

autem pacto lumen istud e cœlo demissum tam variis coloribus tingitur quum per medias it variorum hominum mentes? Quod si licet id purum captare antequam in has mentes descendat, et tum demum habendum sit vere unum atque universum, ostendat aliquis nobis quo signo integrum id lumen possimus discernere? Tu tale id tibi fingis; at alter aliud : quis me in hac disceptatione egregiorum hominum æque suam rationem invocantium verum perspicere docebit. Nec est omittendum te quum veram in se Ideam captare confidis antequam ab interpretatione philosophorum sit depravata, eam pro parte virili interpretari ac videlicet depravare; ita ut, ne corrumpatur, in cœlo sit relinquenda. Quod si me adhortaris quam maxime similem ejus exemplaris æterni imaginem saltem exprimere, quem animum vis retineam quum Plato, divinus a gravissimis viris appellatus, pessimas te fatente doctrinas ut verissimas proposuerit? Nequicquam conor hunc quem jactant consensum inter philosophos de re civili secundum ideam depicta deprehendere; de methodo quidem consentiunt, quippe divinam quisque suam doctrinam pronuntiat atque e cœlesti fonte propius haustam; sed si res ipsas introspicias, videas eos pæne de omni re inter se discrepare.

In eo etiam ea methodus peccat quod quæ optima judicat, nullo argumento potest monstrare non esse subito ad affectum adducenda. Aut enim res humanæ nihil cum cœlestibus commune servant, aut si sit eadem lex utrisque conveniens, cur vel uno temporis momento eam legem semel perspectam jacere irritam sineres? Quod manat e cœlesti fonte in civili velut in

morali doctrina statim præstandum nobis est, et culpæ nobis vertendum sit in hoc perficiendo vel hærere, nedum sit rectum legem temporibus accommodare. Frustra objicis ideam longe ut ita dicam ante viam stare, quam nos pedetentim ac quantum non « noxia corpora tardant » assecuturi sumus. Hoc quidem rectum, si sit idea cupidinis nostræ ad effigiem depicta, si sit idea votum. At idea rationis imperium stat, nec tibi licitum eam magis quam ipsum officium in calendas græcas reponere. Quod si præsentia tempora contra hanc obnituntur, idcirco non culpanda Idea quæ absoluta sit, sed culpanda tempora ac vitium hominum condemnandum. Homines noxa exime : jam Idea quæ se hominum cupidinibus, non sibi hominum cupidines submittet, quo pacto etiam absoluta habebitur?

Ergo (at illud vere miserum) quidquid Ideæ imperio obstat in republica recidendum. Frustra sæculorum longus usus et humanorum errorum spectaculum, frustra sensus alienorum dolorum magis ac magis impatiens, frustra homo homini semper carior nos conscientiam cujusque vereri docuit : contra obnititur vox importuna dicens : Fiat justitia, pereat mundus! Hinc animus hominum sacer ipsa ab Idea monstratur, illinc vita hominum utpote quæ nihil ad res supramundanas spectet, vilis. Omnia tibi doctrina permissa, dum sis conscius legem te a ratione propositam sequi. Te a crudelissimis facinoribus, insita lenitas ac comitas sola servabit.

Inde sequitur nullam inter ejusdem reipublicæ cives concordiam stare posse qui de interpretatione summæ Ideæ dissentiant. Hostis est pessimus quisquis

rationi non paret, atque ni suaderi possit, e medio tollendus. Rursus amicus erit vel qui in extera regione natus fuerit quum easdem sequetur doctrinas atque cœlestis civitatis leges adimplere conabitur. Super finibus infestissimarum gentium, velut sol, splendet divinum illud exemplar atque omnes populos pariter radiis collustrat. Ergo fratres habendi vel diversæ regionis viri, vel hostilium exercituum milites, quos una civitas ea die complectitur qua se rationis ejusdem atque ejusdem Ideæ participes agnoscunt. Prorsus molesta doctrina, quam tamen non dubitaverunt homines quidam ipso in fragore armorum in lucem proferre.

Talia atque alia hujusmodi e methodo Platonis profluentia vitabis si Ideam confiteris non e ratione sede pectore hominum proficisci, atque diversam in diversis apparere. Non stat illa ab ordine doctrinæ, e vitæ impulsu pendet. Nulla lex ab illa manat, sed lege ipsa regenda est. Qua autem lege? Scilicet, velut in omni re, hac lege quam e spectaculo rerum intellectus ducere solet. Namque quum mens hominum res certo cursu semper profluere animadvertit, inde rerum legem scilicet stabilem modum componit, atque pronuntiat e causis atque effectibus semper et ubique eumdem contextum a natura necti. Quo cognito regulam agendi ab hac lege facile trahes, et scies quibus conditionibus finem exoptatum obtinere possis. Finem autem cupido sola proponit atque creat : liberum tibi arbitrium est aut vitæ amplioris aut mortis eligendæ, et patriæ, id est vitæ communis, aut tuendæ aut negligendæ. Sed in universum æstimanti ista cura ponen-

da : quidquid enim vivit vitam quantum potest amplectitur, nec ullus unquam sanus vitæ conditionibus præclare perspectis, eas ac vitam sponte rejiciet.

Ergo scientia rerum civilium omnibus cæteris par est; quæ materiem qua constat e natura accipit, ejus forman stabilem observatione detegit, ex ea forma, scilicet e legum compage quæ vitam communem regunt, regulam artis politicæ ductura. Qua methodo neglecta, politica doctrina in perpetuum inter peculiarium sententiarum fluctus diversa agitatur. Quod enim cuique placuit cur quisque illud æternam juris regulam suis civibus non velit haberi? At res stat ante oculos, quæ sententias diversas judicat ac lites componit.

Neu vero credas me Ideam negare quam gravis sit et qua vi mentes percellat. Communem hominum societatem Idea post se trahit, ita ut quam quæque natio ideam sibi fingat ea sibi fata necesse paret. At quæ est ista nisi mera cogitatio statum præsentem omnibus pulchris lineamentis alias collectis ornatum referens? Inde sequitur ut re ipsa Mens communis vitæ principium stet. Mens autem non tota sui conscia, cujus magnam partem impetus sive ex hereditate a patribus relictus, sive exempli vi ab aliis transmissus, sive e commodorum præsentium inspectione natus, jure sibi vindicat. Impetus igitur ideæ substantia cum Mentis cogitatione dimidia.

Interrogas cum Virgilio :

> ... Dine hunc ardorem mentibus addunt,
> ..... an sua cuique Deus fit dira cupido?

Quam tantam litem non nostrum est hic ciere. Satis erit memorare perfectam hanc Dei naturam quam cupi-

dini humanæ mentique finem Theologici indixerunt, peculiari forma haud facile comprehendi et includi, ita ut qui maxime contendunt Deum ab humana stirpe expeti, atque in illo tanti impetus ac studii causam ultimam jacere, simul maxime indignari debeant quum jactant se politici viri perfectæ essentiæ imaginem in suis doctrinis referre. Cæterum ut possit Dei ipsa facies in angusto tuo speculo ita vivide pingi ut leges civitatis inde ducas, quod signum affers expressæ similitudinis? Te sequar an alium æque similem imaginem se reddidisse profitentem? Idcirco prudentis est viri, tantum asseverare Deum esse omnis ideæ humanæ finem et auctorem quatenus recta sit, nec illum in nostra jurgia producere.

At, dicet aliquis, quomodo ea methodo fretus unam civitatem conficies? — Cui respondebo : quomodo una fiunt singulæ eorum quæ natura rationis expertia gignit : astra, plantæ, animalia? Quum igitur optime ista sint una quorum partes sponte consentiunt, cur hoc ipsum scilicet partibus sponte consentientibus constare humanis civitatibus neges? Necesse est enim consensum aut extrinsecus venire, aut intus esse. Vidimus autem quam debile ac laxum vinculum ex idea deducatur; vidimus hanc, ut diversa est in diversis hominibus potius belli quam amicitiæ causam reipublicæ inesse. Adeamus ergo fidentes hanc alteram doctrinam ipso a Platone partim propositam secundum quam civitas, naturæ partibus assimilata, sed præfecta, ipso suarum partium pondere atque nutu fit una ac concors. Ipse enim Plato nobis in *Republica* monstrat varia homi-

num genera in diversas vias naturæ impulsu primum abeuntia, dein ipso eodem impulsu convenire et invicem sibi inservire. Necessitates mutuæ ac communia commoda omnes civitatis partes valido constringunt vinculo; quo romoto justitia ipsa ac Perfecti cupido, quasi in aere suspensa, inania natarent. Virium compages nunc contra invicem renitentium, nunc uno simul connitentium impetu, hæc est civitatis natura, quam unius ideæ communitas absolvit, sed sanguinis, linguæ, utilitatis consortium constituit ac coagmentat. Lex enim stat in omnibus natura creatis societatibus omnia similia proprio motu inter se convenire ac variis modis ad unum effectum tendere. Nil amplius civitas rogat ut constituatur, scilicet affinium concordiam atque laboris partitionem.

Absit ut contendamus imperio posse civitatem vacare. Animalia ipsa, si eorum structuram inspicias, videas partibus variis constare quarum aliæ imperant, alteræ serviunt. At hic notandum partes imperatorias a cæteris vires ipsas quibus in administrando toto corpore utuntur, accipere, ita ut motum non imponant aliunde acceptum aut in se creatum, sed inter partes quæ eum generaverunt tantum distribuant. Haud aliter in humana civitate pars princeps in unum rediget cives hinc atque illinc cæco cupiditatum impetu distractos, ipsis viribus usa quæ in majore reipublicæ parte latent. Quæ nisi sit natura sana nullo nec humano nec divino auxilio læta ac vegeta civitas evadet.

Machinam igitur arte structam, atque animal natura ortum ante oculos habes; sed ipsum animal hoc sui partem in machinæ speciem informat, atque omni

huic *organo* motum ministrat quem deinde ab illo accipiet ex incomposito compositum, ex violento ordinatum. Quo pacto? Ipso scilicet naturæ ordine cujus leges assidue observatas ad maximum civitatis commodum pars imperatoria adhibebit. Quarum quidem legum vel gravissima omnia quæ vivunt docet mutari, sed lente mutari. Machinam meram, inerti materia concretam uno temporis momento distrues ac restitues, machinam vita præditam seu potius organicum corpus, principium motus in se habens, tibi linquendum proprias conversiones sequi; quas possis pro parte virili vel properare, vel impedire, quoniam ipse pars es civitatis, verum quas ex improviso nunquam edes nec inhibebis.

Quod si dicas te legem harum conversionum perspicere, non autem finem, fatebor nullum animali viventi alium finem proponi nisi illud ipsum *Esse ac feliciter esse*. Quod quidem nullo pacto obtinebit ulla civitas, nisi sit una, nec una fiet nisi æque jura inter omnes sui partes distribuat. Hæc enim nostra doctrina nulla parte moralem doctrinam offendit quamvis legibus naturæ fundetur; altera morali doctrinæ in specie tota submissa, nec publica commoda, nec privatos mores satis confirmat ac veretur.

VIDI AC PERLEGI :

Lutetiæ Parisiorum, in Sorbona, IV idus Januaria, an. MDCCCLXXVII,

Facultatis litter. Paris. decanus,

H. WALLON.

INDEX RERUM

DIVIONE, TYPIS DARANTIERE, VIA CHABOT-CHARNY, 65

ERRATA

Pagina	31,	linea	25,	lege :	Republica,
—	37	—	28	—	« Civilium.
—	51	—	23	—	communi loco.
—	54	—	14	—	prodigorum.
—	56	—	7	—	tanquam.
—	63	—	1	—	cogitandum. »
—	68	—	16	—	doctrinas.
—	70	—	5	—	familiam.
—	82	—	31	—	ac cupidinibus.
—	85	—	15	—	sed e.
—	86	—	6	—	formam.
—	87	—	17	—	singula.
—	88	—	5	—	remoto.

